7.A.281

GEORGII

AGRICOLAE MEDICI LIBRI quinque de Mensuris & Ponderibus, in quibus plæraque à BVDAEO & PORTIO parum animaduersa diligenter excutiuntur.

Opus nunc primum in lucem æditum.

ATENEO VENETO VENEZIA



PARISIIS,
Excudebat Christianus Wechelus, in uico Iacobæo, sub scuto Basileensi. Anno M. D. XXXIII.

BIBLIOTECA ATENEO
VENEZIA
VENETO

ILLVSTRISS. SAXO-NIAE DVCIBVS, IOANNI FRI-derico sacri Imperij Electori &c. eiusq; cognato IOANNI GEORGII filio, Georgius Agricola medicus S.D.

COGITANTI mihi nuper et memoria repetenti, Duces illustrißimi, præclaras res à Germanis gestas, potentißimas eorum nationes, regna florentißima, uisa est inter cæteras uestra familia, tam illustris fortibus maiorũ factis, tam ornata uiris prudentibus, pacis, & omnium uirtutum studiosis, tam potens multis nostræ nationis celeberrimis populis, ut si non prima, secunda certe totius Germamaniæ iure hodie dici poßit. Nam ut omittam multos Principes, è continenti genere per annos ferè octingentos, rerum gestarum gloria insignes, atq; inter eos Conradum & Fridericum, quorum alter sub Imperatore Conrado tertio, alter sub Friderico primo, qui Barbarossa dictus, uterq; strenue contra Saracenos pugnauit, certe adaui uestri Friderici, qui duplex cognomen tulit, ob ditionem amissam exulis, fortis ob recuperatã, quis labores, ac pericula pro patria, atque pro suis animo excelso & inuicto suscepta non mirabitur? præsertim cum audierit duos Imperatores Adolphum & Albertum, eius nominis primũ ex uestris regionibus, quas

Conradus 3.
Fridericus p.
Barbarossa dictus

Adolphus;
Albertus p.

 præter

præter æquum & iustum occuparant consilio & armis expulsos? Sed Princeps ille ut necessario se suósque contra Imperatores defendit, ita pro ijsdem fortiter pugnans Albertus, tuus, Ioannes, auus, Friderici patruus magnus Flandros ob Maximilianum in custodia Brugis detentum magnis cladibus affecit. Frisios dicto Imperatorum non audientes domuit. Maihiã Vngarorum regem mouentem bella Friderico Imperatori in suis finibus continuit. At Fridericus utriusque uestrum abauus tantum inter Principes Germaniæ prudentia, probitate, diuitijs, potentia excelluit, ut Sigismundus Augustus, iure eligendi Cæsaris ad eum translato, primum uestræ familiæ in Saxonum Ducem surrogarit. Nostra uerò memoria maxima prudentia, & summo pacis studio, atque uiro honorum contemptu, tuus, Friderice, patruus Fridericus nulli fuit secundus: nec illi inferior pater tuus, qui proxime non sine multorum luctu diem obijt. Georgius autem tuus, Ioannes, pater uenerandus ille senex, quem nobis diu incolumem Deus opt. max. seruet, similiter prudentia, grauitate, iustitia, fide est longe clarissimus. Quos omnes considerans uestram familiam non iniuria maxime illustrem & in primis ornatam dixerim. Postremo multæ uobis gentes nobiles et fortes subditæ sunt, Hermãduri Turingiq; & Saxones & Franci. Etenim Hermandurorum, Sueuorũ ad Albim pars nos sumus, quos nomine, ut fieri sæpe solet, mutato ob Marchionũ sedem, quæ Misenæ fuit, Misenenses uocant. Vnde non

sine

sine causa qui iura Saxonum scripsit ante aliquot iam secula, Marchionem Misenensem Sueuũ nuncupat. Reliquam uero Hermandurorum regionem, orientem uersus, in qua Albis oritur, relictam olim ab incolis qui in bella migrarunt, partim Venedorum gens, quæ se nuncupat Zechos, occupauit, partim Germani, quos Bohemos ex antiquo nominamus, tenent. Sed & huius regionis non exiguam partem, Lusaciam nuncupatã, olim incoluerunt Venedi, qui tũ Sorabi nominabãtur, postea uerò uel bello sunt deleti, uel se ad suos receperunt. Nostri itaque sunt Hermanduri illi qui cum Cattis, ut refert Cornelius Tacitus, magno prælio certarunt, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum, utraque gens ui ad se traheret. Nam uel hodie ad flumen Salam salis hi fõtes in nobili urbe, quæ Hallis inde dicta, conspiciuntur. Bellum autem hoc, eodem authore, Hermanduris prosperum, Cattis exitio fuit. Hinc Cattorum uiribus debilitatis post in eorum sedes fertiliores immigrarunt Turingi nobilissimæ Gothorum gentis natio, ibique urbem Gotham communi gentis nomine condidere: reliquas sedes ipsi Catti seruarunt, nomine in Hessos commutato. Porrò Saxones qui uestræ subsunt ditioni ultra Albim Sueuorum Semnonum regionis partem incolunt, qui citra, Cheruccionum. Sic enim eos malo nominare, ut Vibius Sequester, quàm, ut Tacitus & alij, Cheruscos: quòd eius nominis oppidum in hodiernum diem extet. Demum Francorum gentis, cui Gallia occupata, inter cætera,

gloriam peperit immortalem, non contemnenda pars ue
ſtro eſt ſub Imperio. Sed Sala flumen Turingos diui-
dit ab Hermanduris, utraque regio omni ferè ex parte
maximis ſyluis & montibus munita, præterquam ubi
tum ipſæ inter ſe, tum Saxoniæ ueſtræ iunguntur, ut
hæ gentes naturæ fœderibus uideantur cõciliatæ. Her-
mandurorum montes omnis generis metalli, præcipuè
uerò argenti adeo fertiles ſunt, ut nulli cedant regio-
ni. Colles ad Albim uinum ferunt generoſum. Plani-
cies frumentis abundat. Turingia tamen tritici uberta-
te non modo hanc, ſed omnes alias magnæ Germaniæ
terras facile exuperat, ut ſumen Germaniæ rectiſſime
dici poſſit. Nec uerò uinum ipſi deeſt, & maximi ſunt
prouentus ex Iſatide herba, quam uulgus Guadum uo-
cat. In his autem regionibus permultæ ſunt urbes pul-
cherrimæ, plurima oppida, innumeræ arces, quarum
alias natura, alias artificiũ, alias utrũq; muniuit. Lon-
gitudo itaq; ueſtræ ditionis eſt à Francis uſq; ad Saxo
nũ uobis ſubditorum finem, ultra centũ quinquaginta
milia paſſuum. Latitudo ab Albi, ubi ueſtrum Imperiũ
initium ſumit, uſque ad Fontes Viſurgis, quem hodie eo
loco Verram nominant, ferè eadẽ. Singulis igitur per-
penſis, quis non intelligit & ueſtram familiã eſſe ma
xime potentem? Sed quorſum hæc, Duces illuſtriſſimi?
non in aliud quàm ut mutua concordia regnum hoc
ueſtrum, quod ab externis facile inconcuſſum mane-
bit, in ea conſeruetis pace, in qua circiter centum an-
nos perpetuos, diuino beneficio, ſub maioribus ueſtris,
nomine

nomine aut re uerè Fridericis, id est, pacis diuitibus, effloruit. Deinde ut bonarum literarum studiosos liberalitate, quod principes magnopere decet, benigne foueatis, qui soli tum uobis sempiternam laudem parere, tum maiores uestros uiros fortißimos ab obliuione uindicare possunt. Ego certe si intellexero gratum uobis hunc meum laborem, quem sub clarißimi nominis uestri auspicio emittere mihi uisum est, quémque non paucis profuturum spero, edam ijsdem auspicijs, si uita suppetet, duodecim libros de re Metallica conscriptos, qui, nisi fallor, fortunam uestram splendidißimam & apud exteras nationes & posteros reddent splendidiorem. Valete. Ex ædibus meis Chemnicij Hermandurorum. III. Nonas Martias. An. M. D. XXXIII.

Liber primus de Mensuris Romanis.

Secundus de Mensuris Græcis.

Tertius de rerum quas metimur pondere.

Quartus de Ponderibus Romanis.

Quintus de Ponderibus Græcis.

ATENEO VENETO
VENEZIA

GEORGII AGRICOLAE LIBER PRIMVS, de mensuris Romanis,

CVM bonarum literarum studiosis omnibus, mensurarũ & ponderum cognitionem ad authores recte intelligendos, utilem esse censeo, tum maxime medicis. Quibus tamen acriùs aliquanto, & attentius rem considerans, non modo ad artem suam præclaram illam percipiendam utilem inuenio, sed ad rite exercendã prorsus necessariam. Quod cæteris ferè, quæ hac parte legunt, ea satis sit intelligere, medicos & quæ intelligunt re ipsa perficere oportet. Habet nanque medicina mensuras exactas & statas, ac definita certáque pondera. In quibus si quis error acciderit, qui uelim nunquam accideret, is semper cum aliquo corporum nocumento, nonnunquam uerò cum summo uitæ periculo contingere solet. Atque aliorum certe in hisce errata eiusmodi sunt omnia, ut ope humana corrigi possint: medici, si fuerint enormia, interdum non, nisi diuina. Etenim mercator si iustam mensuram, siue pondus incuria quadam excedit, ipse

ipse accipit detrimentũ: sin dolo quippiam de ijs detrahit, defraudat emptorem, sed in eo, quod facile repẽdi queat. Medicus si uel inscitia, uel negligẽtia, uel malefi cio, modũ siue pondus excedit, præsertim in medicinis purgãtibus, ægrotũ magno afficit incõmodo, aut omnino interficit: si uerò diminuit ea, quàmuis minori fiat ualetudinis iactura, non raro tamẽ & tum nocet ægro tanti. Sed mercatorem emptores decipientem Magistratus pœna multant. Circumforaneis pharmacopolis, qui se pro medicis ingerunt, & his & alijs modis ubique homines impune, ait ille, necare licet: tantum uerò abest ut arceantur, ut in florentißimis Italiæ urbibus fo ra ipsorum clamoribus perstrepant. Ita peruerso quodam more magis curæ nobis est tantillum mercis, quàm bona corporis ualetudo, sine qua nec mens ipsa satis sana esse potest. Verum nihil mirum pharmacopolas istos indoctos, inter cætera permulta, mensurarum & ponderum rationẽ priscam Romanorum & Græcorum ignorare, cum nostra ætate medici qui eam teneant recte, si sint fortè, pauci admodũ sint, aliquot ante nos annis atq; adeo seculis nulli fuerint, qd scripta illorũ, in quibus uidemus eos fœdißimè lapsos, manifeste prodũt. Hinc partim factum, ut quia ueterum libros de medicamẽtis cõscriptos non intelligerent, animum ad medicamẽta cõuerterint cõponenda, adeò ut nunc eò uentũ sit, ut nõ solertes uiri solũ, et experientes, quibus modice liæret, id agãt, sed inertißimus quisq; et nullius experientiæ quotidie utatur nouis, à se temere excogitatis, uetetum

rum inuenta male neglecta iaceant. Hæc autem consideratio multis de causis est ualde abstrusa & perplexa. Primum diuersarum regionum non minus olim ac hodie diuersæ fuerunt mensuræ atque pondera. Sic alijs scriptoribus in usu sunt mensuræ Romanæ, alijs Atticæ, atque item alijs aliæ, eademq; uarietas etiam existit in ponderibus. Deinde authores, tam Græci quàm Latini, cuius regionis utantur mensuris uel ponderibus interdum tacent omnino, aut uix obscure & negligenter innuunt. Tum etiam unus & idem author mensurarum capacitatem, grauitatémue rerum quas metimur, uel ipsa pondera, iuxta consuetudinem modo huius, modo alterius regionis declarat. Præterea Græci de rebus Romanis loquentes, aut contra Latini de Græcis mensuram uel pondus per uocabula suæ regioni consueta sæpe explicarunt, quod aliquibus res, etsi non fuerunt eadē, parũ tamen uiderẽtur inter se differre, alijs etsi multũ differrẽt, uti uocibus externis nõ placeret. Postremo nec libri mendis carent: nã ut de reliquis nihil dicam, mensuræ et pondera notis quibusdã significantur, quas aduertimus aliquãdo uel diuturnitate & iniuria tẽporũ deletas, uel mutatas librariorum incuria aut temeritate, uel deniq; libros excudentiũ negligẽtia, aut praua corrigentiũ diligentia uitiatas. Quæ omnia nisi qs diligẽter obseruauerit, facillime in eos incidet errores, à quibus, bona pace dicam, ne magni quidẽ nostræ ætatis uiri sibi satis cauere potuerunt. Ne uerò eorũ authoritas, quam alioqui summo studio, maxima eruditione, utilissimis libris

bris iam pridem euulgatis, sibi iure compararunt, Latinæ Græcæq; linguæ studiosis, quod attinet ad hanc rẽ obsit, & ut mensuræ ac pondera plærisq; omnibus adhuc ignota fiant clariora, decreui rem ipsam latius explicare: quàmuis non admodum forte in Græcis ponderibus opus fuisset hoc meo labore, si liber à Diodoro de his scriptus non perijsset, multo uerò minus in ponderibus simul & mensuris tam Romanis quàm Græcis, si Galeni libellus de pondere liquorum, qui in medicamenta recipiuntur, extaret. Quoniam uerò neuter ad nostra peruenit tempora, & Budæus, Portius, Alciatus uiri clarissimi & doctissimi, & iurisconsultissimi de sextario Romano totius cognitionis mensurarum, quodam quasi fundamento senserunt diuersissima, nec nisi unius sententia uera esse posit; aut nullius, operæpreciũ mihi uisum est meam quoque interponere. Et id mihi licere arbitror, qui enim non? cum Budæo licuerit libere de Hermolao Barbaro, & uere de Angelo Politiano, qui huius tractationis semina nostro seculo primi sparserunt, iudicare & de Portio iam edito libro Budæi sua in lucem proferre? Nuper autem Alciato utriusque sententia quasi sublata, propriam & nouam in locum substituere? iudicia certe in literis olim fuerunt liberã, nunc debent esse, & erunt posteris, uel nobis inuitis, modo non sint leuia, temeraria, & iniqua. Quòd si eorum quispiam me in ius uocare ob hanc causam et doctis accusare uoluerit, rationibus agat, pugnet argumentis, testimonijs denique authorum, si potest, conuincat,

eat, omissis maledictis & conuicijs, ne nostra arrogantia uel pertinacia ne quid aliud dicam, periclitetur ueritas, quæ sanè ut accuratè disputando exquiri, ita nimium altercando plærunq; amitti solet. Id quidem q d' æquum est postulo, quo neglecto, si quis omnino uoluerit stomachari & maligne in conuicia prorumpere, ipsum suo magis obfuisse nomini quàm meo optimus quisque, certo scio, iudicabit. Nec à me hæc scribuntur, q, uehementer id ipsum uerear in tantis & tam præclaris ingenijs. Nam Budæus quidem, ut magni & generosi est animi, ita puto meliorem esse uirum, quàm ut agnitæ ueritati ullo modo refragari uelit. Alciatus uerò, quantũ ex scriptis eius intelligo, uir est et ipse egregiè doctus, quantum audio ex amicis, ingenio ualde candido. Portius autem quo magis est acer inuestigator rerum abscondit arum, hoc enim nomine in primis à Baptista Egnatio uiro docto commendatur, eò minus grauiter ferret me, quasi socium quendam laboris, in idem studium incubuisse. In quo etsi mihi liberius necessitate quadam est disputandum, sic tamen me gerere conabor, ut nemi nem eorum sua debita laude priuare uoluisse uidear. Vt enim ueritati consulere cupio maximè, ita clariss. morum hominum authoritati detrahere neque uolo, neque æquum esse censeo. Quòd si alicubi labores ipsorum, quibus se posteritati commendarunt, forte non æstimauero pro dignitate, extant omnium scripta, in quibus diligens & prudens lector facile obseruabit, quid illi, quidue ego præstiterim. Sed ad rem. Hunc docendi

cendi ordinem, quò omnis hæc tractatio uia & ratione procedens fiat illustrior, in uniuersum seruare instituí. Primum meam sententiam breuiter ponã, deinde eam authoritate, quæ penè sola hic magnam uim habet, enitar confirmare. Demum meis corroboratis, à me dissidentium opiniones diligenter expendam, ne res non satis discussa & pendens in controuersia lectorem non acrem dubium reddat, cui nostrum potius accedere debeat. Quámuis qui mediocri sit iudicio, is ea parte nondum perlecta, non difficulter statuet, quã unam è tot sententijs & tam discrepantibus potissimũ probet. Nec enim plus una poterit, quod non nisi una non modo sit uera, sed etiam esse possit. Principio autem de mensuris dicã. Appellantur uerò mensuræ quibus metimur tum liquores, quod genus sunt oleum, uinum, acetum, aqua, mel: tum arida cuiusmodi omnia frumenta, legumina, fructus, ac plæraq; alia. Sed quia mensurarum aliæ sunt Romanæ, aliæ Græcæ: nam reliquas consulto nunc omitto, nec hæ inter se cõcordant, initio Romanas tradere decreui, quòd ijs intellectis, quomodo plèriſq; earũ Græci, Romano Imperio iam florẽte, sint usi, perspicuũ fiet. Tametsi non ignoro Romanos quoq; Græcis fuisse usos. Romanæ præterea, ut & Græcæ, inter se differunt, quòd alijs materiam tantum humentem, alijs siccam metiamur, nonnullis uerò utranque. Primum igitur liquorum mensuras aperiam. Culeus amphoras uiginti capit. Amphora urnas duas. Vrna congios quatuor. Congius sextarios sex. Sextarius heminas duas.

duas. Hemina quartarios duos. Quartarius acetabula duo. Acetabulum ſeſquicyathum. Cyathus ligulas ſiue cochlearia quatuor. Libra quoque cum menſura eſt, non ſecus ac ſi pondus eſſet, capit uncias duodecim menſurales: uncia autem duas ſemuncias. Quia uerò ſextarius Romanus comprehendit libram & beſſem, id eſt, uncias uiginti, de menſuralibus intelligo: nam libræ & unciæ menſurales cuique menſuræ fixæ ſemper & immobiles manent, cum ponderales pro rerum quas metimur diuerſitate ſubinde mutentur, non eſt difficile colligere quot librarum uel unciarum unaquæq; menſura fuerit capax. Vt igitur à ſextario quaſi initio quodã & fundamento incipientes, per maiores ipſo menſuras ad culei uſque capacitatem perueniamus: quia is, ut iã dixi, uncias uiginti, congius capit libras decem. Vrna quadraginta. Amphora octoginta. Culeus mille & ſexcentas. Rurſus ut ſextarium reſoluentes minorum menſurarum capacitatem explicemus, quia ipſe uncias uiginti, Hemina recipit decem. Quartarius quinque. Acetabulum duas cum dimidia. Cyathus ſeſcunciã drachmã & ſcriptulum. Liceat mihi ſic abuti ponderibus, quò res poſſit explicari. Ligula poſtremo drachmas tres, ſcriptulum unum. Hæc de Romanorum menſuris, quibus liquores metiebantur mea eſt ſententia, quam niſi ſcriptorum probauero teſtimonijs, nemini me perſuaſurum ſcio. Nec immerito, quòd tota ferè confirmandi ratio hoc in loco in authoritate conſiſtat, quam aut per ſe clara eſſe neceſſe eſt, aut, ſi fuerit inuoluta, diligenter

explicatam.

explicatam. Atque hic statim nostra legentem etiã atq; etiam rogo ne molestè ferat se nonnulla ab alijs prius scripta iterum legere, quæ si omisissem, ut non fecissem illibenter, qui dilucide docerẽ nõ uidebam. Nunc anteq̃ ad culeũ mensurarũ maximã reuertar, illud unũ dicam, me perspicuitatis caußa distinxisse mẽsuras in maiores et minores, ut maiores sint supra sextariũ, minores infra. His igitur frequentißime medici utũtur, illis rarißime, omnibus tamen diuersi generis scriptores usos iam declarabimus. Quòd Culeus uiginti amphoras contineat ostendunt hæc Plinij uerba, quæ sunt quarto libri decimi quarti capite, Quando et postea sæpe numero, septenos culeos singula iugera, hoc est, amphoras centenas quadragenas musti dedere. Sic Plinius. Si igitur septem culei centenas quadragenas amphoras, ut ipse declarat, efficiunt, perspicuum est ad calculos redigenti, culeum amphoras capere uiginti. Idem Rhemnius Fannius in libello de ponderibus & mensuris dicit apertius, quo teste, qui ante me scripsere, quia in hac mensurarum capacitate exponenda, sæpe sunt usi, eum ne mihi quidem negligendum puto. Sunt uerò hæc eius carmina,

Est &, bis decies quem conficit amphora nostris
Culeus, hoc nulla est maior mensura liquoris.

Cæterum culeus ex Græco est κουλεὸς: sic enim Ionica loquendi consuetudine κολεὸς dicitur, quod præter cætera apud ipsos Græcos uasis genus significat, & fortasse mensuram, cuius nos certiores facerent rei rusticæ scriptores, si modo ulli extarent. Vnde Romani eos imitati

tati tam utres olearios & uinarios, quàm mensuram culeum dixerunt. Est autem mensura liquoris, quod Fannius clare dixit, & ex Plinij uerbis intelligitur, atq; Catonis quæ sunt in libr. de re Rustica capite tertio & uigesimo. Si in dolium resinam indes, in culeum musti p. III. bene cõminuito: inde in fiscellam indito, & facito uti in dolio musti pendeat. Hæc de culeo.

Amphora.

Sequitur amphora, quæ duas urnas comprehendit, quod Columella capite uigesimo libri duodecimi explanat. Ego tamen si humida fuerit uindemia trientem, si sicca quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum, ita ut quatuor urnarum esset musti modus: urna autem quatuor & uigimti sextariorum. Fannius quoque de amphora loquens ait,

Huius dimidium fert urna.

Sed clarissime id ipsum scribit Volusius Metianus cuius uerba sunt, Nam quadrantal, quod nunc plærique amphoram uocant, habet urnas duas. Quòd uerò idem mensuræ genus quadrantal & amphora nominetur, Festus Pompeius etiam declarat, Quandrantal uocabant antiqui, quam ex Græco amphorã dicunt: quod uas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios. Hæc Festus. Si igitur amphora octo & quadraginta capit sextarios, ut ille recte scribit: urna uerò quatuor & uigimti, ut tradit Columella, quis non intelligit amphoram duas urnas continere? Quin etiam idem ex eiusdẽ Columellæ uerbis, quæ sunt libri tertij capite tertio, cũ Varronis libri primi capite II. collatis percipitur. Var-

Amphora & quadrantal idem.

 ronis

ronis uerba sunt, Nónne item in agro Fauentino, à quo tricenariæ appellantur utes, quód iugerum tricenas amphoras reddat? Columellæ uerò de eadem re hæc. Atque ut omittam ueterem illam felicitatem aruorum, quibus & ante M. Cato, & mox Terent. Varro prodidit, singula iugera sexcenas urnas uini præbuisse: id enim maxime asseuerat in primo libro rerum Rusticarum Varro. Cum enim de eadem re loquantur, nemo non uidet amphoram duarum urnarum esse capacem. Alterum autem nomen ex Græco est declinatum: dicũt enim Græci ἀμφορεὺς uas quod utrinque ansas habet, quibus capi & portari possit: mensuram etiam eodem nomine appellant, licet à Romana, ut dicam suo loco, diuersam: nam Latini unà cum terminationis mutatione & genus & mensuram mutarunt. Alterum Latinum est dictum à figura quadrata quadrantal: est enim pedis quadrati, ut Festus ait, & hæc Fannij carmina pulchre explicant,

amphoræ forma.

Pes longo spacio latoq; notetur in anglo,
Angulus ut par sit, quem capit linea triplex
Quatuor ex quadris, medium cingatur mane,
Amphora fit cubus.

Iam utroque nomine non solũ eadem significatur mensura, sed etiam utrũq; ad liquores refertur: ut enim amphoram aquæ, ita quadrantal aquæ uel alterius liquoris dicere possumus. Amphoram uerò liquorum mensuram esse clarum est ex Columellæ loco paulò antè citato: quadrantal autem ex Catone, qui sic scribit capite

te quarto & uigesimo. Vuas apicias percoctas bene le gito: ubi delegeris in eius musti culeum aquæ marinæ quadrantalia bina, uel salis puri modium: hunc in fiscellam suspendito, simulque cum musto distabescat. Imo etiam ex Plauti Curgulione ubi de anu bibula loquuntur Phædromus & Palinurus,

Sitit hæc anus. Quantum sitit? Modica est, capit quadrantal. De amphora satis multa, cui proxima est urna, quam quatuor congios comprehendere diximus. Scribit enim Volusius amphoram duas urnas, congios uerò octo continere: unde certũ urnam, quæ est dimidiũ amphoræ, congios quatuor capere. Id autem cõcordat cum his Columellæ uerbis quæ paulò antè quoq; retulimus. Vrna autem quatuor & uiginti sextariorum. Nam cum congius sextarios capiat sex, ut mox explicabitur, urnam, quæ est quatuor & uiginti sextariorum, necesse est quatuor congiorum esse capacem. Verum urna, quæ & uas aquarium significat, Varronis dicta est, quòd urinat in aqua hauriendi ut urinator. Mensuram uerò liquoris esse Columella loco iam dicto, & Cato capite tertio et uigesimo ostendunt. Ait enim, Marmor si indes in culeũ, libra indito in urnã, & misceto cũ musto. Horatius etiã in primo sermonũ,

Vt tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho, & dicas magno de flamine mallem.

Sed discedamus ab urna. Congius sextarios capit sex, quod indicat Volusius cũ scribit, Quadrantal habet congios octo, sextarios octo & quadraginta: nam octies

ſex, conſtituunt octo & quadraginta. Hinc ſextario nomen inditum, ut Fannius his uerſibus aperit,

A quo ſextari nomen feciſſe priores
Crediderim, quòd eos capiat ſex congius unus.

Sed Catonis uerba oſtendunt quoque congium ſex eſſe ſextariorum: ea ſunt capite ſeptimo & quinquageſimo, ubi ſtatuit, quantum uini ſit familiæ bibendũ. Menſe quinto, ſexto, ſeptimo, octauo in dies ſextarium unum. Deinde id ipſum declarans addit, in mẽſe congios quinque. Cum enim menſes ferè triginta dies habeant, & ſingulis diebus bibatur ſextarius, fiunt triginta ſextarij, qui quinque efficiunt congios. Hunc locum docte explicauit Budæus uir acutus & diligens, ut hic de Portio taceam. Ex eiſdem autem uerbis quiſque intelligere poteſt, congium liquidi menſuram eſſe. Item etiam ex his Liuij quæ ſunt libro quinto & uigeſimo ab urbe condita, Et congij olei in uicos ſingulos dati. De congio ſatis. Nunc de ſextario ſimiliter teſtibus planum faciam quod duas contineat heminas. Id Itaque declarat Feſtus Pompeius ſic ſcribens, Hemina ex Græco ἥμισυ, quod eſt dimidia pars ſextarij. Nec minus Gellius libro tertio capite quarto decimo, Si ex ſextario hemina fuſa eſt, non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt. Præterea hæc Fannij carmina,

Sextarius.

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius unus.

Quòd autem liquoris ſit menſura, ſi non eſſet maxime, perſpicuum ex Horatio fieret, qui in primo ſermonum

monum inquit,

Panis ematur, olus, uini sextarius.

Ac Ciceronе qui ait libro secundo officiorum, Si emere sextarium aquæ mina cogeretur. Vnde uerò dictus sit ante declaratum est: quã ob rem iam ad Heminam ueniamus: ea capit duos quartarios, quod Hemina
» asserit Volusius Mettanus, quem ne quis tanquam Volusius Mettanus.
» testem uilem contemnat, sciat nobilem fuisse iureconsultum, quo, ut Iulius Capitolinus scriptum reliquit,
» duo Antonini Pius & Philosophus sunt usi, alter cum
» aliquid de iure sanciret: Philosophus autem ut iura
» discceret. Volusij uerba de mensuris hic integra asscribam. Nam quadrantal, quod nunc plærique amphoram uocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios octo & quadraginta, heminas sex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex. Ex his quilibet intelligit heminam duos comprehendere quartarios. Cæterum Hemina unde sit nominata, Festi uerba, quæ supra retuli, declararunt: quòd uerò mensura liquoris sit, exempla in authoribus passim occurrunt, nunc illud Plautinum sufficiat in Milite, Neque equidem heminas octo exprompsi in urceum. Progrediamur recto ordine ad quartarium, qui duo quartarius.
continet acetabula, ut ex Plinio patet, qui capite ultimo libri primi, & ungesimi sic ait, Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem. Igitur quartarius quem dimidiam partem esse heminæ ex

Voluſio probauimus, neceſſario duo comprehendit acetabula. Sed Plinius & Fannius acetabulum quod Atticis fuit in uſu explicarunt. Romanis iuxta eandem diuiſionem ſuæ exſtitiſſe capacitatis alij ſcriptores ita uſurpantes declarant. Quartarij autem capacitatē inter Latinos, præter Voluſium, qui explicarit hactenus inueni neminem. E Græcis cum eo concordat Dioſcorides cuius nōnulla extant in libello de menſuris & ponderibus, qui Galeno aſſcribitur. Is enim inter cæteras mēſuras ſic ſemper in liquidis meminit quartarij ut dimidia pars ſit heminæ, uel quod idem prorſus eſt duo capiat acetabula. Hunc quartarium, quia Fannius, ignorarunt Budæus, Alciatus, Portius, quod nemo putet acerbius dictum: nullus enim unquam fuit, quantumuis rerum diligens ſcrutator, quē non aliqua latuiſſent. Verū quartarius eſt appellatus quod quarta ſit pars ſextarij. Liquoris autem menſurā fuiſſe, indicāt hæc Liuij uerba, quæ libro quinto ab urbe condita ſcribit. Manlius primū ob uirtutē laudatus, donatusq; non ab tribunis ſolum militū, ſed conſenſu etiam militari, cui uniuerſi ſeli bras farris & quartarios uini ad ædes eius, quæ in arce erant, contulerunt: rē dictu paruam, cæterum inopia fecerat eā argumentū ingens caritatis, cū ſe quiſq; uictu ſuo defraudās, detractū corpori atq; uſibus neceſſarijs ad honorē unius uiri cōferret. Et Columella quarto cap. libri duodecimi, In uini uapidi ut acre fiat ſextarios duo de quinquaginta, fermenti libram, fici aridæ pondo quadrantem, ſalis ſextariū ſubterito, & ſubiri-

quartarius unde,

Colum. de uino uapido,

ta

ta cum quartario mellis aceto diluito: atq; ita in prædictam mensuram adijcito. De quartario satis, nunc ad acetabulũ, quod continere sesquicyathum perspicuum fiet ex his Fannij uersibus, quibus de cyatho loquitur,

Bis quinq; hunc faciunt drachmæ si appendere tentes,
Oxybaphus fiet si quinque addantur ad illas.

Verũ acetabuli denominatio facta est ab aceto, nonnihil ad imitationẽ Græcorum, apud quos ὀξυβαφον, quod & ὀξυβαφος uas primo dictũ, in quod acetum infunditur, ut in id cibos, quibus acorẽ addere placet, intingamus, deinde ad mensuram translatum. Liquoris autem mensuram esse, ex Celso manifestum est in eius Acopi cõpositione, quod inscribitur ἐλαιῶδες neruis utile, ait enim, Instillaturq; subinde quàm optimi mellis acetabulũ. Sequitur cyathus ἀπὸ τοῦ χυειν, id est, à fundendo Græcis dictus, literæ aspiratæ in tenuem mutatione. Hũc in Simpuli locũ in conuiuijs successisse dicit Varro de lingua Latina, cũ in sacrificijs manserit altera appellatio. Inde translatus ad mensurã cyathus, quorũ duodecim sextariũ complent: quod ex iã dictis dilucidũ esse potest, & nihilo minus ex his Scribonij Largi uerbis, quæ sunt Cõpositione CXXVII deprehenditur. Item rumicis radices tres, aquæ tribus hæminis incoctæ donec sextarius relinquatur: inde cyathi quatuor per triduũ dantur. E quibus etiã, si non ex nominis ipsius etymologia clarũ esset, liquoris mensuram intelligimus. Restat ligula et cochleariũ, quæ licet mensuram interdũ significant eandẽ, non tamen semper.

Acetabulũ.

Cyathus

Ligula.

VENETO VENEZIA

Siquidem ligulæ usus aliquãto simplicior esse uidetur, cum cochlearium multas habeat differentias quas in sequentibus libris exponam: utroq; uerò nomine Latinis quarta cyathi pars significatur, quod Columella declarat libri duodecimi capite uigesimo primo sic scribens, Et ita coadijcitur in binas urnas ligula cumulata, uel mẽsura semunciæ bene plenæ salis cocti & triti. Quibus uerbis intelligitur ligulã quartã esse cyathi partem: nam cyathi quarta est ferè semuncia, dẽptis scilicet duobus scriptulis. Quia uerò dixerat ligula cumulata, necesse erat, cum per mensurã similem eam uellet apertius explanare, dicere mẽsura semunciæ bene plenæ. Si uerò simpliciter ligula dixisset, mensura semunciæ non plenæ fuisset dicendum meo arbitratu, deest enim id quod supra dixi, quominus quarta cyathi pars sit integra semuncia. Capit nanq; quartà apud Romanos drachmas tres & scriptulum unum: ut liceat etiã nunc mihi semunciam mensuram, sicut pondus in eiusmodi minora pondera, non aliter ac si mensuræ essent, diuidere, ut eò melius res difficilis intelligi queat. Cæterum quod eadẽ quarta cyathi pars etiam cochlear dicatur, clarius dicit idẽ Columella paulò pòst his uerbis, Præterea fœnũ græcum maceratur in uino uetere per triduum: deinde eximitur, & in furno siccatur uel in sole: idq; cum est aridum factum molitur: & ex eo molito post salituram musti cochlear cumulatum, uel simile genus poculi eius, quod est quarta pars cyathi adijcitur in binas urnas. Hæc ille. Mẽsuræ uerò siue poculi genus,

genus, ut ipse loquitur, μῦσγρον Græci adpellant, quod non modo Columella idem quod cochlear esse in hoc libro declarat, sed etiam Græcos constat sic usos. Verũ genus hoc cochlearij magnum nominandum censeo, ut à reliquis discernatur. Ligula autem dicta est à linguæ similitudine, in cauum intra dentes, palatum uersus, contractæ. Vnde Plinius pro mensura & linguæ uocabulo utitur, cuius uerba sunt libro uigesimo capite tertio, & uigesimo de granis ferulæ in uino tritis. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant Luna quarta, sexta, septima, linguæ mensura. Sed ligulam sic usurpat Scribonius Largus Comp. CXLIIII. Dantur quantum lupinus ex mellis ligula & aquæ cyathis quatuor. Et Cõp. CCXXX. Huic medicamento si anatis sanguinis quasi duo ligulæ adiunctæ fuerint, minus mordebit. Idẽ sic quoque usus est cochleario Comp. CCXXXVII. Cum opus est cochlearia tria rosæ cyatho permiscentur. Intelligit uerò per rosam oleum rosaceum. Sed de cochleario satis hoc loco dictum sit. Hanc autem Romanarum mensurarum rationem, qua explicatur quoties maior proxime se minorem capiat, Fannius uersibus aperuit, quem secutus est ea parte Budæus ac reliqui duo, præsertim cum uiderent è ueteribus & bonis authoribus nemunem alicuius mensuræ capacitatem enarrantem uspiam ab eo dissentire, quamobrem & ego easdem recensui mensuras & eisdem fermè testimonijs ipsas confirmaui. De quartario tamen, ut de ligula nihil dicam, nulla in tota ipsorum tractatione fit mentio. Cuius capacitatem

Ligula, non dicta.

tē ex Voluſio, uſum è Liuio & Columella oſtendi. Præterea ſingulas ipſe menſuras perſecutus, liquoris eſſe uerbis ſcriptorum probaui, quod ut quis maxime contemplerit equidem ad docendum cenſui conueniens & utile. Eſto, notum ſit excellentis eruditionis utris, ſit mediocris, infimæ non erit. Ego uerò omnibus hac mea lucubratione prodeſſe uolui. Cæterū priuſquàm ad alterum modum explicādi menſurarum capacitatem perueniam, maiores menſuras in minores, imo minimas etiam reſoluam, atq; hinc dilucidum erit quoties quæq; nō proximam modo, ſed unamquanq; ſe minorem capiat. Culeus itaq; comprehendit amphoras XX. urnas XL. congios CLX. ſextarios DCCCCLX. Heminas M D CCCCXX. quartarios III D CCCXL. acetabula VII D CLXXX. cyathos XI D XX ligulas XLVI LXXX. Amphora capit urnas. II congios VIII. ſextarios XLVIII. heminas XCVI. quartar. CXCII. acetabula CCCLXXXIIII. cyathos DLXXVI. ligulas MMCCCIIII. Vrna capit congios IIII. ſextarios XXIIII. heminas XLVIII quartarios XCVI. acetabula CXCII. cyathos CCLXXXVIII. ligulas MCLII. Cōgius capit ſextar. VI. heminas XII. quartarios XXIIII. acetabula XLVIII. cyathos LXXII. ligulas CCLXXXVIII. Sextarius capit heminas II. quartarios IIII. acetabula VIII cyathos XII. ligulas XLVIII. Hemina capit quartarios II. acetabula IIII. cyathos VI. ligulas XXIIII. Quartarius capit acetabula II. cyathos III. ligulas XII. Acetabulū capit cyathum

cum

cũ dimidio, ligulas VI. Cyathus capit ligulas IIII. Hæc unà cum his, quæ præponere soleo de quacunq; re dicturus tabularum uice esse possunt, ne cui mea in compendium contrahendi, quod non sine optimorum authorum iactura factum uidemus, caussa relinquatur. Hactenus mensuras Romanas ratione & uia quadam collectas, & in ordinem adductas exhibuimus, præter libram, unciam & semunciam, quas mensuras esse nunc est probandum, ut rursus ad sextarium non imparati accedamus. Libram duplicem esse, uel hodie pharmacopolia quocunq; in loco sint, ostendunt, ponderalem & mensuralem. Romanos etiam utranque in usu habuisse. Galenus, q unus pro multis testibus esse potest, asserit libro primo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη. Cuius uerba Latin. tantũ adscriberẽ, nisi intelligerem quosdam Græca ipsa libentius legere, quibus in hac re morem gerere uolo. Scribit igitur sic, καλεῖται δὲ ὑπὸ τῶν ῥωμαίων ὁμωνύμως ὁ λιτραῖος σταθμὸς τῶν σεῤῥῶν σωμάτων τῷ λιτραίῳ μέτρῳ τῶν ὑγρῶν, ὃ πάμπολυ καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἐστὶν ἐξ ὕλης κερατίνης γιγνόμενον. Id Latinè uerbum è uerbo quasi exprimentes ita reddere possumus, Adpellatur enim à Romanis librale pondus solidorum corporum nomine simili libralis liquidorum mensuræ, quæ permulta in tota urbe est, ex cornea materia cõstans. Hæc ille. Quibus aperit nomine libræ, quã è Lat. corrupte Græcè λίτραν nominãt, tã mensurã q̃ pondus significari. Deinde non multo pòst scribit, μικρὸν ἔμπροσθεν ἐδήλωσα

τὴν

τὴν ὁμωνυμίαν ἐξηγησάμενος ἐν παρὰ ῥωμαίοις σταθμικῆς λίτρας τῇ μετρικῇ. Id est, Paulò ante ostendi, cum nominis similitudinem, quæ est apud Romanos libræ ponderali cum libra mensurali enarrarem. Idem Galenus corripit quodam modo medicos, quod eã differentiam in medicamentis non expresserint, his uerbis quæ sunt in libro sexto eiusdem operis, διὸ γράφειν ἐχρὴν ἐπιμελέστερον ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις τοὺς ἰατροὺς, ὁποίας τινὰς κελεύουσι βάλλεσθαι τὰς ὀυγγίας ἢ τὰς λίτρας τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, πότερον τὰς μετρικὰς ἢ τὰς σταθμικάς. Hoc est, Idcirco medicos in libris de medicamentis accuratius oportebat scribere, quales nam uncias uel libras medicinarum liquidarum præciperent inijci, mensurales ne an ponderales. Ex quibus locis luculenter intelligitur libram duplicem Romanis fuisse mensuralem & ponderalem. Adijciendum igitur est si ponderalem indicamus Græcè σταθμῷ, Latin. pondo: si mensuralem Græcè μέτρῳ, Latinè mensura. Atque sic Galenum apud Græcos distinxisse ex sequentibus clarum erit. Tũ Romanis sic in usu fuisse hinc conijcio, quòd persæpe libræ pondo adiectum inuenitur: sic uerò semper ponderalem significant, ut & pondo sine adiectione per se posito eandem denotant. Interdum autem deesse, quo significatur mensura: quanquam hoc in uniuersum uerũ non est, reperitur enim libra pro pondere sine ulla adiectione sæpius à Latinis posita. Deinde pondo nullius differentiæ caussa addi cœpit, ut quum dicũt pondo denarij

narij, pondo uictoriati, hoc est, pondere, id enim solum tunc significat, perinde ac Græcis ὁλκὴ cum drachmæ adiungitur, quo modo scribit Dioscorides ὁλκὴ δραχμῶν ζ̄. Id est, pondere drachmarum septem. Erratur hac parte non minus hodie ac olim, non tã pharmacopolarũ culpa q̃ medicorũ, q discrimẽ hoc partim per ignorantiã, partim per incuriã non exprimunt, cũ certe nõ exigua differẽtia sit inter olei librã mensura & pondere. De quo errore ac alijs nonnullis, quos obiter indicabo, copiosius aliàs disserui, nunc probasse satis sit libram mensuram esse & pondus. Sed quòd mensuralis æque ac ponderalis in suas duodecim uncias diuidatur, Galenus apertius explanat ibidem libro tertio, quàm ut in dubium uocari poßit: ait uerò, ἔστι δὲ παρ' αὐτοῖς μέτρον, ᾧ τὸ ἔλαιον μετροῦσιν, ἐντετμημένον γράμμαις διαιρουσαις τὸ συμπαν εἰς ~~μέρη δώ~~ δεκα, καὶ καλεῖται τὸ ὅλον μέτρον ὑπ' αὐτῶν λίτρα, τὸ δωδέκατον δ' αὐτοῖς οὐγγία. Hoc est, Est autẽ apud ipsos (de Romanis loquitur) mensura, qua oleũ metiũtur, intersecta lineis diuidentibus totã in duodecim partes, atq; mensura integra uocatur ab ipsis libra: duodecima uerò pars eius uncia. E quibus clarißimum est, libram mensuralem duodecim esse unciarum mensuralium. Quam ob rem in magno errore uersantur hodie medicamentarij quidam, sedecim eam unciarum cõstituentes, maxime quum medicamenta tam Arabum quàm Græcorum conficiunt: cum ponderibus enim reliquarum medicinarum, quas in se recipiunt compositiones

Uncia.

sitiones siue mixturæ, hæc mensura libræ non conuenit. Iam etsi satis probatũ sit è Galeno libras & uncias mẽsuras fuisse, paucis tamen adhuc usum earum manifestare nõ inutile arbitror futurum. Quàmuis autem Galenus & medici eum secuti crebro sic usi sunt libra & uncia, unum tamen aut alterum locum ex ipso quoque testimonij gratia adscribam. Lib. primo eiusdẽ operis scribit ex his constare album emplastrum, λιθαργύρου μὲν μέρη ψιμυθίου λίτρας ἑκατέρου σταθμῷ, δυοῖν δὲ λιτροῖν ἐλαίου μέτρῳ. Id est, Ex argenti spumæ & ceruse singulorum libra pondo, olei uerò duabus libris mensura. De hac eadem libra meo iudicio intelligendus est loqui Suetonius in Cæsare Dictatore quum ait, Populo præter frumenti denos modios ac totidem olei libras, tricenos quoque numos, quos pollicitus olim erat, uiritim diuisit. Etenim non temere legeris ueteres oleum, uinum, & reliquos liquores ad pensum uendidisse aut donasse: sed ad mensuram, quæ uel erat libra, uel aliquot libras siue uncias mensurales capiebat, licet medici liquores nunc appendant, nunc metiantur. Ad unciam transeundum, qua sic utitur Galenus libro περὶ σωθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους octauo, συντίθεται δὲ χυμῶνος μὲν εἰς δραχμὰς ε. τοῦ κηροῦ, ὑυγίας. ά. μετρικῆς ξωμαϊκῆς ἐμβαλλομένης τοῦ ναρδίνου μύρου. Id est, Componitur autem hyeme quidem ad octo ceræ drachmas iniecta nardini unguenti uncia una mensurali Romana. Semunciam uerò præter Græcos sic usus est Columella, cuius uerba,

Suetonius

semuncia.

ba, quæ supra quoque retuli, sunt: & ita coadijcitur in binas urnas ligula cumulata, uel mensura semunciæ bene plenæ salis cocti & triti. Mensura semunciæ dixit, quippe mensuram semunciam significans, eo modo loquendi quo dicimus mensura sextarij uel heminæ, quia mensuræ sunt, & quo nemo diceret mensura denarij uel uictoriati, quia pondera solum. Contrà in fine libri eiusdem pondo semunciam dixit, pondus semunciam indicans his uerbis, Quòd si etiam cum laser non habueris, pro sylphio mellis adijcies pondo semunciam. Sed reuertar ad libram, quod oleum cornibus libralibus uendebant ex uerbis Galeni supra citatis, quisque percipere potuit, nec minus ex hoc loco qui iam sequitur, quem ex libro περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη primo asscripsi, ἐάντις ὑπόθητ τὴν κοτύλην ἔχειν οὐγγίας. θ. ῥωμαϊκὰς τὰς κατεγραμμένας ἐν τοῖς συνήθεσι κέρασι λιτραίοις. Hoc est, Si quis statuat, cotylen uncias nouem capere Romanas in cornibus libralibus, quæ in usu sunt, descriptas. Sic ille. Erant nanque lineæ quædam, ut alibi scribit, in orbem ijsipsis cornibus extrinsecus incisæ quarum interstitia erant unciarum capacia. Intrinsecus nanq; ut hodie in libris mēsuralibus, quæ ex plumbo candido fiunt, & tuberculis quibusdam signantur in cornibus non facile notari potuerunt. Verum eiusmodi cornua non solum fuisse libræ unius, sed duarum etiam librarum ex Horatij libri secundi Sermonum satyra secunda intelligimus, ubi ait,

Ac nisi mutatum parcit diffundere uinum, &

Horatij locus.

Cuius

Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, nataleis, aliósue dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, ueteris non parcus aceti.

Bilibri enim dixit duarum librarum mensuralium capaci. Vbi Acron interpres inquit, Sunt enim in uenalibus cornua, quæ olei habent quantitatem, sextarij mẽsura. Quod si uerum est, fuerunt cornua diuersæ capacitatis in usu. Librale, de quo Galenus scripsit. Bilibre, de quo Horatius. Sextarij mensura, id est, unctarum uiginti, de quo Acron. Vt autẽ Horatius cornu bilibre dixit, ita Plaut. in Milite, bilibrẽ aqualẽ duarum librarum capacem dixisse uidetur. Versus sunt,

Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados
Ea sæpe decies complebatur die.

Sed hæc differentia est inter mensurales & ponderales uncias & libras: quòd ponderales corporum decernant grauitatem, mensurales molem. Id uerò cum res ipsa indicat, tum Galenus clare scribit libro primo operis sæpe iam commemorati, Αἱ μὲν γὰρ σταθμικαὶ, τὸ βάρος κρίνουσι τῶν σωμάτων· αἱ δὲ μετρικαὶ, τὸν ὄγκον. Id est, ponderales quidem, de uncijs loquitur, corporum grauitatem decernũt: mensurales uerò molem. Idem iudiciũ est de libra. Vt igitur tãdem summatim colligã, quæ multis iam dicta sunt. Libra mensura est, & diuiditur in duodecim uncias, quæ & ipsæ mẽsuræ sunt. Vncia uerò in duas semũcias, quæ hodie in pharmacopolijs certo signo discretæ non sunt, & olim etiã magis

magis coniectura quadam eas metiri solitos credide-
rim. Hoc dicto postremo sermonem de istis finiam.
Libras & uncias esse mensuras authoritas docet, per-
suadet ratio, experientia credere cogit. Quare nūc his
fundamentis iactis ueniam ad sextarium, de quo inter
magnos homines, ut iam dixi, summa dissensio est. Nam
alius ipsum duarum librarum esse censet, cuius opinio-
nis est Budæus. Alius unciarum quindecim nouem de-
tractis, quod sentit Alciatus. Alius deniq; uiginti uncia-
rum ut Portius, in hoc Hermolaum Barbarum secutus,
sed ponderaliū, qui cōmunis omnibus ipsis, sit uenia uer
bo, error est, quia omnes communē constituunt sexta-
rium, ut paulò pòst perspicuum fiet. Nos diximus eum
uiginti unciarum esse mensuralium. Atque id sanè eo
diligentius erit explicandum, quò magis in sextario ad
totam mensurarum rationem cognoscendam situm est:
qui enim eius capacitatem recte intelligit, reliquarum
mensurarum omnium statuere potest: ut contra, in ea
qui errat, in cæteris non potest non errare. Galeno
itaque medicorum omnium longè præstantissimo, dum
Romæ exerceret medicinam sub Antoninis Cæsaribus
Augustis, hæc res in primis curæ fuit, qui libro pri-
mo operis, cuius sæpe mentionem fecit, cum quorundam
medicorum qui Romæ egerunt emplastra recenset, du
bitat num Romanorum sextarium an Atticorum indi-
cent. Siquidem Romanus uncias uiginti mensurales:
Atticus, qui medicis in usu esse cœpit, decem & octo Sextarius Atticus.
comprehendit. Verba ipsius, quibus id de sextario Ro-

mano explicat, quod nunc probare uolo, hæc sunt, ξέ-
στου δὲ νομίζω μεμνῆσθαι τὸν ἥραν τοῦ ῥωμαϊ-
κοῦ. παρὰ μὲν γὰρ τοῖς ἀθηναίοις οὔτε τὸ μέ-
τρον ἦν οὔτε τοὔνομα τοῦτο νυνὶ δὲ ἀφ' οὗ ῥω-
μαῖοι κρατοῦσι, τὸ μὲν ὄνομα τοῦ ξέστου παρὰ πᾶ-
σιν ἐστὶ, τοῖς ἑλληνικῇ διαλέκτῳ χρωμένοις, ἔθνε-
σιν. αὐτὸ δὲ τὸ μέτρον οὐκ ἴσον τῷ ῥωμαϊκῷ,
χρῶνται δὲ ἄλλος ἄλλῳ ξεστιαίῳ μέτρῳ. παρὰ γοῦν
τοῖς ῥωμαίοις, ὁ ξέστης ἔχει μίαν λίτραν καὶ ἡμί-
σειαν καὶ ἕκτον, ὡς εἶναι τὰς πάσας οὐγγίας. κ. ἃς
τὸ πολὺ τοῖς κέρασι μετροῦσιν, ἐντετμημένοις
ἔξωθεν γραμμαῖς κυκλοτέρεσιν, ἔνιοι δὲ ψευδῶς
ὑπειλήφασι τὸν ῥωμαϊκὸν ξέστην ὀκτωκαίδεκα
μετρικὰς ἔχειν οὐγγίας. ἔοικεν οὖν καὶ ὁ ἥρας, ὅταν
κοτύλην γράφη, τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ ξέστου σημαί-
νειν, ἤτοι δὲ τὰς. θ. δηλοῖ οὐγγίας ἐκ τῆς λιτραίου
κέρατος ἢ τὰς δέκα τοῦτο γὰρ ἄδηλον, quod est,
Sextarij autem Romani Heram meminisse arbitror.
Nam Atheniensibus neque mensura neque nomen hoc
erat: nunc uerò ex quo Romani rerũ potiuntur, sexta-
rij nomen omnibus, qui Græca lingua utuntur, existit: at
ipsa mensura Romanæ æqualis non est: alius enim a-
liam sextarij mensuram in usu habet. Quippe apud Ro
manos sextarius libram unam & dimidiam atque se-
xtam ipsius partem capit, ut unciæ uniuersæ sint uigin
ti, quas plærunq; cornibus, quibus orbiculares quædam
lineæ sunt extrinsecus incisæ, metiuntur. Cæterum qui-
dam falso putarunt sextarium Romanum octodecim
continere

continere uncias mensurales: uidetur igitur & Heras, si quando cotylen scribit, dimidiam sextarij partem indicare: nouem uerò uncias cornu libralis significet an decem obscurum est. Hactenus Galenus. Eiusdem sententiæ est Oribasius Iuliani apostatæ medicus libro secundo ad Eustathium filium, Ιταλικὸν κεράμιον ἔχει ξέστας. μ. η. ξέστης λίτραν μίαν καὶ οὐγγίας. η. Id est, Amphora Italica capit sextarios octo & quadraginta. Sextarius libram unam & uncias octo. Idem prorsus tradunt reliqui Galenum secuti. Quin etiam Arabes, qui sua transscripserunt è Græcis, eadem planè statuunt, quorum uerba asscribere tædio plenũ legentibus putaui, tum etiam iccirco censui omittenda, quod in alio opere pluribus aperui, quid de ponderibus & mensuris senserint ipsi, & quãtum iuniores Itali à recto deflexerint atque aberrarint, in quo multa quoque sunt de proportione ueterum mensurarum & ponderum ad ea quæ nunc medicis sunt in usu. Porrò idem intelligitur ex hac compositione Andromachi iunioris, quæ est apud Galenum libro nono περὶ συνθέσεως φαρμάκων καὶ τόπους his uerbis, ξεστίνου κοτύλης τέταρτον, τουτέστι, κυάθους. ις. ὅ ἐστιν οὐγγίας ϐ. Id est, Rosacei heminæ quartã, hoc est, sesquicyathum, quod est uncias duas cum dimidia. De mensuralibus sine dubio sentit, uter uerò tandẽ declararit Andromachús ne cuius compositio refertur, an Galenus qui retulit, est incertum. Cum itaque quarta heminæ capiat duas uncias cum dimidia, necesse est

heminam esse decem unciarum, quæ quia dimidium est sextarij, sequitur necessario eum esse unciarum uiginti. Sed quid opus est istis & similibus cum uerba Galeni supra scripta sint clarissima? Quocirca à Græcis ad latinos trãseundum est. Hermolaus Barbarus uir summæ eruditionis in castigationibus Plinianis scribit ex sententia Festi Pompei, sextarium uncias uiginti continere, sed uerba quibus id dicat neq; ipse neque Portius eum imitatus recitat. Si tamen ita scripsit Festus, dubio procul uncias intellexit mensurales, quod neuter illorũ explicat. Verum dubito nonnihil integrum ne Festum Barbarus habuerit, in quo hæc legantur, an ex uerbis collegerit, quibus declarat quot sextariorũ sit quadrantal, maxime cum ex Plinio numerum unciarum amphoræ eliceret: unde facile erat subductis calculis statuere, quot unciarum esset sextarius. Certe nobis Paulus, bonus ille uir, qui in compendium eum redegit, non plura reliquit quàm supra retuli. Verba autem Plinij sunt capite quarto libri decimiquarti de uino, quod L. Opimio Consule creuit, in ducentos ferè annos seruato. Quo fit ut si eius temporis æstimatione in singulas amphoras centum nummi statuantur, ex his tamen usura multiplicata semissibus, quæ ciuilis & modica est, in C. Cæsaris Germanici filij principatu, annis centum sexaginta, singulis uncias uini constitisse nobili exemplo docuimus, referentes uitam Pomponij Secundi uatis, cœnamq; quam principi illi dedit. Hæc Plinius. Iam ex Columellæ libro quarto perspicuum est enarratione

ne doctißima Barbari uſuris ſemißiũ de centenis nummis ſenos in annum redire creditoribus. Ineamus ergo hanc rationem. Si ſemißium uſuræ annis centum & ſexaginta, nongentos ſexaginta nummos, quod nemo opinor negabit, conficiunt, & Plinius dicit, ut Hermolaus interpretatur, ſingulas uncias uini ſingulis nummis uſuræ nomine conſtituiſſe, neceſſe eſt quòd amphora totidem uncias, id eſt, nongentas ſexaginta comineat. Quod ſi uerum eſt, ut eſt ſanè, capiet ſextarios uiginti. Quemadmodum enim Barbarus ex hoc loco ſemißium uſuram probat, ita probari poteſt quot uncias non amphora modo, ſed etiam ſextarius comprehendat. Ex his igitur omnibus probatum ſatis arbitror ſextarium uiginti capere uncias, & quidem menſurales: nam quot ponderales, niſi humorem quem metiris expreſſeris, dicere minime potes, alius enim alio grauior eſt, uerbi cauſa uinum oleo eſt grauius, mel rurſum multo grauius uino, ut liquores reliquos & arida omittã. Si quis ergo ſextariũ iuxta põdus cõſtituere uelit, tot erũt ſextarij explicandi, quot res ſunt quas metiri ſolemus: in cõmune uerò nullus ſic cõſtitui poteſt, de quo copioſius cũ infra, tum libro tertio dicã. Reſtat nunc tertia huius ſermonis pars, in qua primo decreui nonnulla pro uiribus explicare, quæ uel obſcura & inuoluta ſunt apud autores, uel ambigua dubiáq; uidentur. Deinde argumenta eorũ qui ſententias meæ repugnantes & cõtrarias probant, expẽdere & refellere conabor, quorũ alterũ ut eſt ualde plauſibile, ita alterũ

uehementer odiosum: utrũq; uerò penè necessarium in tanta obscuritate rerũ et opinionũ diuersitate: quod ni esset, in totũ ab his abstinere maluissem, partim consulens breuitati, partim meæ & dissidentiũ existimationi: meæ quidẽ, ne tudicer prurigine reprehendendi laborasse, illorum ne, quæ nesciuerint, asseruisse dicãtur. Sed quia ipsi sua non nuda & deserta, sed testimonijs scriptorũ suffulta & munita protulere, nisi sensu quo dicta sint declarato, infringãtur, periculũ est ne plærique ultro citroq; opinionibus iactati animo fluctuent, ac penitus incerti, quò tandẽ consistant relinquantur. Quod si fieret, hanc quæstionẽ meo labore, studio, diligentia nihilo magis explicasse, q̃ implicasse non iniuria censeri possem. Necessitate igitur quadam cõpellor contra doctissimos nostræ ætatis homines disputare. In quo tamen sic mihi temperaturus sum, ut bonis uiris potius studio ueri tuendi, quàm libidine lædendi quenquã, nedum illos, eò accessisse uidear. Cum itaque duplex sit mensurarum consideratio, una qua culeus à minima capiendo initium constituitur, uel contrà idem in minimã usq; resoluitur: altera qua cuiusq; mensuræ capacitas, quod ad libras & uncias attinet mensurales, explicatur. In priori cum Budæo, Portio, et Alciato, ut iã ante dixi, conuenio, nisi quòd illorũ non sint integra: deficiunt enim in his mẽsuris, quartario, libra, uncia, semuncia, ligula. In altera cũ nemine eorũ, ut ex dictis diligẽs lector potuit intelligere, & ex sequentibus multo magis intelliget. Nunc rursus singulas mensuras breuiter

percurram

percurrã à culeo incipiens: ubi primũ hoc dicendũ puto, Mensurarũ nominibus sæpe uel uas indicatur, quod in maioribus omnibus ferè fit. uel poculũ quod in minoribus. Quæ tametsi non raro iustã excedunt mensurã, tamen quia proxime ad earũ aliquam accedunt, aut ob similitudinẽ formæ, quã cũ ipsis habent, idẽ nomen obtinẽt, uerbi gratia, Vas quod urnas quadraginta capit, & iustũ culei continet modũ, & recte sibi ipsius nomen asciscit. Sic Vitruuius dolia culearia dixit, & Cato labrum culeare, quod unius essent culei. Quòd uerò una aut altera urna quadragenariũ numerũ excedit, culeus etiam quia proxime ad ipsius accedit mensurã, appellatur. Sic Cato de re Rustica capite. CXLVIII. culeos nominat, qui capiunt urnas quadragenas & singulas, eius uerba sunt, Vinum in dolijs hoc modo uenire oportet, uini in culeos singulos quadragenæ et singulæ urnæ dabuntur, quod neq; aceat, neq; muceat. Budæus hoc declarans, Catonem non ad iustam mensuram respexisse putat sed ad morem negociatorũ, qui accessionis nomine in singulos culeos singulas urnas stipulabãtur, ut id uini, quod infundendo & effundendo perit, hoc modo rependeretur, atq; sic culei uenderẽtur, ut debent, iusti. Cæterũ fuerunt et culei, siue ut Varro etiã, Nonio teste, uocat, culea è corio utres in quibus uinũ et oleum portabatur, quorum meminit Festus cum scribit, Culeola cortices nucum uiridiũ, dicta à similitudine culeorũ, quibus uinum siue oleũ continetur. Præterea Plinius libro septimo capite uigesimo, A. Iulius Valens

Culei forma.

meruit in prætorio diui Augusti centurio, uehicula cũ culeis onusta donec exinanirentur sustinere solitus. Hinc minæ illæ Plautinæ in Pseudolo,

Si mihi non iam huc culeus oliui deportatur,
Te ipsam culeo ego cras faciam deportare in pergulã.

In eiusmodi quoque culeos è corio insuti parricidæ in proximum mare uel amnem proijciebantur. Tum dolia sesquiculcaria dicũtur à Columella libro duodecimo ca pite decimooctauo, quæ culeum cum dimidio capiunt, id est, amphoras triginta. Eiusmodi dolij medietatẽ prorsus continet dolium, cuius capacitatem significat Plinius libro nono capite trigesimo, de polypo magnitudinis inauditæ loquens his uerbis, Ostendere Lucullo caput eius, dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax. Satis multa de culeo, præsertim cum hæc omnia ferè doctissime, ut solet, explicarit Budæus, & de eius capacitate, quantum ego meminisse ualeo, nulla controuersia sit, nec inter ueteres nec inter eos, qui nuper de mensuris scripsere. Siquidem Hermolaus Barbarus qui ait, Culeus quadraginta urnas cõtinet, idem planè dicit: amphora enim duas urnas comprehendit. Iam ad amphoram. Sed quia cado, qui Fannio est idem quod Attica amphora, Plinius utitur, forte quispiam diceret me hunc non recte omisisse, cui respõsum uolo, cadum non fuisse Romanam mensuram, sed Atticam, quam Plinius usurpare solet cum uel è Græcis aliqua trãsfert, uel de Græcis loquitur uinis Romã aduectis, id quod in ipsorum mensuris explanare decreui libro sequenti.

quẽti. Verũ ut hodie plæriſq; in locis mẽſuræ atq; pondera iuſta, ueluti typi ſiue exemplaria quædam aſſeruantur in palatijs, ne uenditor ea excedens ipſe damnum faciat, aut minuẽs emptorem meràs aliqua parte fraudet: ita Romanam amphoram Ioui ſacratam olim fuiſſe in monte Tarpeio, in quo Capitoliũ fuit, Fannius his uerſibus clarè dicit,

Amphora fit cubus, quam ne uiolare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Atque hinc Iulium Capitolinum in Maximino patre Capitolinam amphoram puto nominare cum ait, Bibiſſe autem illum ſæpe die uini Capitolinam amphoram conſtat, comediſſe & quadraginta libras carnis, ut autem Cordus dicit etiam ſexaginta. Itaque Capitolinus his uerbis indicat menſuram: nam iuſtæ capacitatis amphora, quemadmodum ex Fannij uerſibus intelligi poteſt, in Capitolio aſſeruabatur, non miræ magnitudinis, ut è doctis quidam ſcripſit. Siquidem & Atticæ maior hac erat, & eadem multo maiores, ut & minores in uſu ſine dubio fuerunt Romanis, quibus non ut menſuris ſed uaſis utebantur. In hac uerò menſura inſigniter errarunt Angelus Politianus uir alioqui ualde doctus, & Demetrius Alabaldus, qui ſcribunt tres amphoras efficere ſextarium, quaſi ſextarius triplo capacior ſit amphora, cum una amphora, quod ex clariſſimis Feſti uerbis perſpicuum eſt, octo & quadraginta ſextarios contineat. Sed hunc errorẽ quia Budæus diligenter et enodatè enarrat, mihi tẽpus in eo conterendũ non eſſe cenſeo, ſed ad urnã

transeundum, quam congios quatuor capere suprà probaui, quocirca Nicolaus Perottus Cornucopiæ scriptor magno uersatur in errore sic scribens, Vrnã uerò quartarium dici manifestum est, quòd quatuor sextarios capiat. Id enim omnino sine ullius authoritate scriptũ est, nam neque urna quatuor solum sextarios capit, sed quatuor & uiginti, neq; quartarius dicitur, quum sint mensuræ non parum diuersæ. Quin etiam quartarius ipse non quatuor sextarios continet, sed est quarta pars sextarij: unde tres tantum cyathos cõprehendit. Quòd si qs de quartario cõgij, quẽ ex Catone cõstitui posse sentit Budæus, dictũ uelit: ne is quidẽ capit sextarios quatuor, sed unum cũ dimidio. Idẽ Perottus alio loco sui oblitus scribit, Vrna quadrantal cõtinet: quadrantal uerò octo et quadraginta sextarios. Hic inepte quadrantal et urnam idẽ arbitratur, cũ quadrantal duarũ urnarũ sit capax, ut ex Columella & alijs est declaratũ. Eius itaq; scripta tantopere inter se dissidẽtia, satis arguunt ipsum hac parte nihil solidi scribere. Soleo autem errores indicare, quod iterum dicendum, non inuehendi causa, sed mea stabiliendi ne cuiuspiam authoritas sine ratione eis queat officere. Cæterum quia urna capit quatuor & uiginti sextarios, qui efficiunt heminas octo & quadraginta, Catonem capite decimotertio dixisse opinor, urnam quinquagenariam, quæ duas heminas plus iusta caperet urna. Ab eadem aliquod, quod ipsius mensuram continet, urnale dicere possumus: quemadmodum Plinius libro nono capite trigesimo polypi acetabula

Catonis Locus.

bula dixit urnalia his uerbis, Acetabulis siue calicibus urnalibus peluium modo. Acetabula autem siue calices ipse appellauit brachiorum sinus, quas Græci κοτυλη-δόνας nominant. Sequitur iam congius sex sextariorum capax, eadē uerò mensura congiarium uocatur, à quo deinde munus quod à Cæsaribus, uel imperatoribus amicis dabatur congiarium dici cœpit, quod Fabius declarat his uerbis, quæ sunt in sexto de institutione oratoria, In metalepsim quoque cadit eadem ratio dictorū, ut Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit: nam congiarium commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura ducta immunutio est rerum. Hæc Fabius. Vt enim donatiuum dicatur munus, quod militibus datur, ita congiarium quod amicis uel populo. Opinor autem inde dictū, q̄ primo cōgij uini uel olei dabantur, deinde res aliæ dari cœptæ, eadem manente adpellatione. Sic Suetonius utitur in Cæsare dictatore. Omnibus uerò circa eum, atque etiam parte magna senatus, gratuito aut leui fœnore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere, uel inuitatos uel spōte ad se commeantes uberrimo congiario prosequebatur. Idem in Augusto, Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ ferè summæ, modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenósque nummos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quàmuis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. Budæus apud Plinium libro quartodecimo, eiusdem numeri capite,

millia

congius, et congiarium idem

ATENEO VENETO VENEZIA

millia cadûm congiarium dici putat unius congij. Ego arbitrarer ideo cados congiarios dictos, quòd eos pro munere diuiserit, ut sua mensura cado maneret. Quàmuis non ignorem cadum quoq; fuisse genus uasis: unde Columella scribit libro duodecimo capite octauo & uigesimo, Si in uetustatem seruare uoles, in cado duarum urnarum quàm optimi uini sextarium aut fecis generosæ recentes sextarios tres addito. Sic ille. Arbitrarer, inquam, nisi exemplaria quædam Plinij excusa, & manu scriptum peruetustum non haberent congiarium, ut uideatur ab aliquo adscriptum, qui significare uoluerit eiusmodi diuisionem fuisse congiarium, atque sic eam in contextum irrepsisse. Fit autem à congio etiam congialis, id est, unius congij. Plautus in Aulularia,

Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.

De congio plus satis. In sextario, ut supra indicauimus, errarunt Angelus Politianus & Demetrius Alabaldus, qui asserunt eum tres amphoras capere. Perottus præterea qui putat eandem mensuram sextarium & metretam, cum metreta amphoram excedat, quæ continet octo & quadraginta sextarios. Romanus autem sextarius non modo Italicus respectu Græci dicitur à Palladio, sed etiam Vrbicus respectu castrensis, quòd ab utroque differat. Verba Palladij de Italico hæc sunt, libro undecimo titulo decimoquarto. Tunc gypsi triti atque cribrati tres Italicos sextarios mittis in uini amphoras decem. De Vrbico libro secundo titulo undeuigesimo, In uini ueteris sextarijs urbicis decem, mittis grana myrti con-

fracta

fracta sextarios urbicos tres. Græci verò siue Attiâ sextarij capacitatem libro sequenti declarabo, nunc is quo milites in castris sunt usi, qui ob id dicitur castrensis, est explicandus: capit verò duos sextarios urbicos, siue Italicos: qua de re audiamus diuum Hieronymum sic scribentem in Ezechielem, Sextam enim partem mensuræ Hebraicæ, quæ adpellatur hin, iubetur per singulos dies bibere. Porrò hin duos χόας Atticos facit, quos nos adpellare possumus duos sextarios Italicos: ita ut hin mensura sit Iudaici sextarij, nostriq; castrensis, cuius sexta pars facit tertiã partem sextarij Italici. E quibus uerbis quis non intelligit sextariũ castrensem duos Italicos siue urbicos capere? Sed hoc in loco sextarij diuisio in cyathos adpellationes suas sortita, præsertim apud poëtas aperienda est, ut Scribonij Largi locum, ubi inquit sextarij bes, medici possint intelligere. Sextarius itaq;, quod ante me Budæus non indoctè explicauit, quia duodecim cyathos in se continet, quemadmodũ as & libra duodecim uncias, sit ut perinde ac in re numaria uel pondere sextantem duas uncias dicimus, ita in poculis duos cyathos. Mart. libr. 5. Epigrammatum, Sextantes Calliste duos infunde falerni.

Suetonius in Octauio Augusto, Postea quoties largissime se inuitaret, senos sextantes non excessit, id est, duodecim cyathos, qui efficiunt sextarium: iccirco verò sextariũ non dixisse uidetur, quod pocula habuerit in usu, quæ sextantem, id est, duos cyathos caperent. Sic quadrans tres cyathi. Martial. lib. 9. ad Calatissum,

Addere

Addere quid ceſſas puer immortale falernum?
Quadrantem duplica de ſeniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te Calatiſſe deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæſar erit.

Hinc clarum ſatis eſt hæc de cyathis non de uncijs, ut Caldarinus & Beroaldus ſunt interpretati, debere accipi. Hoc modo Budæus putat dictum quadrantem à Cornelio Celſo de curatione quartanæ febris. Si quarto die cum horrore febris reuertitur uomere, ſicut ante præceptum eſt: deinde poſt febrem modicum cibi ſumere, uini quadrantem. Triens quatuor cyathi. Proper. lib. 3.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora.

Perſius ſatyra tertia,

Sed tremor inter uina ſubit, calidumq; trientem
Excutit è manibus. Martial. lib. 6.

Setinum dominæq; niues, denſiq; trientes.
Quando ego uos medico non prohibente bibam?

Quicunx quinq; cyathi. Martialis libro ſecundo ad librum ſuum,

Te conuiua leget miſto quincunce, ſed ante
Incipiat poſitus quàm tepuiſſe calix.

Semiſſem ſic in uſu eſſe non legi, ſed loco eius heminam uel ſex cyathos, ut apud eundem Martialem, cuius carmen paulo poſt ſubnectam. Septunx ſeptem cyathi. Martialis libro tertio in Zoilum,

Septunce multo deinde perditus ſtertit.

Bes octo cyathi. Martial. lib. 11. de Caio Proculo,

Quincunces, & ſex cyathos, beſſemq; bibamus,

Caius

Caius ut fiat Iulius & Proculus.

Ita Scribonius Largus Comp. CCXXVI. scripsit, Erui moliti sextarij bes, id est, octo cyathi. Sic deniq; Dodrās nouem cyathi, Dextans decem, Deunx undecim dici possunt. Martialis libro duodecimo in Cinnam,

Poto ego sextantes: tu potas Cinna deunces,
Et quereris quòd non Cinna bibamus idem.

Hactenus de sextario. Cōsequitur hemina mensura Romana, uocabulum quoque licet ex Græco sit deriuatum. Quare Cato de re Rustica quum nunc hemina scribat, nunc cotyla, non eandem mensuram indicare uidetur, sed per heminam Romanam, per cotylam Græcam, & quidem Georgicam, de qua proximo libro sum dicturus. Catonis uerba de olea sunt capite CXLVI. Primæ cotylas duas. Nulla enim necessitas fuit cur non heminas diceret Romano loquendi more, quum aliàs sic loquatur, nisi diuersam mensuram significare uellet. Nunc ad quartarium ueniam, quem quartam sextarij partem esse probaui: uerum ei sententiæ locus Plutarchi qui est in Camillo uidetur aduersari, de eadem enim re prorsus loquitur, de qua Liuius cuius uerba suprà retuli ex quinto libro ab urbe condita: ait uerò Plutarchus, τῷ δὲ μαλλίῳ τῶν νικῶς ἀριστεῖα πρὸς τιμὴν μεγάλην μᾶλλον ἢ χρείαν ψηφισάμενοι συνεισήνεγκαν, ὅσον ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν εἰς τροφήν. σίτου μὲν ἡμίλιτρον φαρὸς· οὕτω γὰρ καλοῦσιν αὐτὸ· οἴνου δὲ κοτύλης ἑλληνικῆς τέταρτον. Id est, Manlio uictoriæ præmium magis magni honoris

honoris gratia quàm neceßitatis decernentes cõtulerunt in ædes eius, quantum quiſque uictus ſingulis diebus caperet. Cibi quidem ſelibram farris, ſic enim ipſum adpellã, uini quartam partem Græcæ cotylæ. Hæc ille. Apparet igitur Plutarchum non quartam ſextarij partẽ quartarium accepiſſe, ſed heminæ, quæ eſt Græcis cotyla: atq; ſic idẽ eſſet quartarius cum acetabulo, quod tamen eſt contra Voluſium & Dioſcoridem, qui quartarij capacitatem declarant. Ego cẽſeo Plutarchum menſuram Romanam per Græcam uoluiſſe explicare, cum autem nullam inueniret proximius accedere ad ſextarium q̃ cotylen Græcam, quam & Georgicam dici arbitror, quartarium cotyles dixit. Græcæ uerò addidit ad differentiam Romanæ, quam cotylen etiam uertere ſolent, ea autem aliquot uncijs minor eſt Georgica, ut in Græcis exponam. Porrò ξέσξης licet iam tum erat in uſu Græcis, non tamen niſi medicis, ut uel ea uox Plutarchum latuerit, uel ſi cognita fuerit, tanquam non ſatis pura, noluerit uti. Idem Plutarchus ſimili ratione cum Romani ſcriptores habent denarios, drachmas transfert, cũ octo drachmæ Atticæ uix ſeptem denarios efficiant, quemadmodum hic tres cotylæ Georgicæ nondum duos ſextarios Romanos. Nam alios diligentius, alios negligentius hanc diuerſitatem inter Romanas & Græcas tam menſuras quàm pondera conſideraſſe magis ex ſequentibus intelligi poterit. Si uerò quiſpiam dixerit aliquam cotylen Græcam fuiſſe, quæ Romano ſextario in capacitate reſponderit, equidem, illi ſua ſententia relicta, de re

re ignota non contendam. Sed quid tertiarius & quartarius significet apud Catonem nonnihil in dubio est. Is uerò inquit capite XCV. Amurcæ in uas æneũ indito congios duos: postea igne leui coquito: rudicula agitato crebro, usq; adeò dum fiat tam crassum quàm mel: postea sumito bituminis tertiarium & sulphuris quartarium, conterito in mortario utrunq;. Plinius tertiam & quartã partem intelligit amurcæ duoriũ congiorum, in crassitudinem mellis decoctæ. Verba eius sunt libro septimodecimo capite ultimo. Simili modo ne conuoluulus fiat in uinea, amurcæ cõgios duos decoctos in crassitudinem mellis, rursusq; cum bituminis tertia parte, & sulphuris quarta sub diuo coquito, ne excandescat sub tecto. Cum autem non explicet Plinius an amurcam ut eam crassitudinem consequatur, oporteat ad quartas, uel tertias, uel dimidias decoquere, nulla potest hinc mensura constitui, nisi decoctionis periculum quispiam fecerit. Budæus uerò ait, Quartariũ apud Catonem, sic congij quartam partem significare existimo, ut tertiarium tertiam, & sextarium sextam. Nisi itaque Plinij authoritas, qui quartam partem non congij, sed amurcæ decoctæ interpretatur, obstiterit Budæo, erit aliquis quartarius congij, perinde ac quartarium sextarij ex Volusio & alijs probauimus. Sed de bis nimis multa. Acetabulum, ut supra dixi, ad imitationem Græcæ dictionis, quæ est ὀξύβαφον ab aceto denominatum uidetur: quàmuis Hermolaus Barbarus in castigationibus Plinianis ab accipiendo dictum putat, Acetabulũ.

unde quidam scribũt acceptabulum. Sed idem fallitur in Corollarijs scribens, Quãquàm & mensuræ genus significat, quod & cochleare dicimus. Acetabulum nanque cyathum unum cum dimidio capit, qui sex magna cochlearia, quas ligulas quoq; dicimus, efficiunt. In cyatho lapsus est Acron cum scribit super hoc Horatij tertio carminum, ode octaua, Sume Mecœnas cyathos amici Sospitis centum. Ait enim, Cyathos mensuras dixit, quas pro sexta parte sextarij dicebant. Cyathus enim non sexta, sed duodecima pars est sextarij, ipse uerò sextarius sexta est congij, quod fortassis eum decipit. Malo tantum credere hunc errorem, ut plærosque, alicuius librarij negligentia contigisse, qui notam heminæ non scripserit integram, ex quo sextarij remansit, quod facile fieri potuisse ex notis earum mensurarum, quas tradam libro tertio, intelligitur. Landinus hoc loco, diuersa recitando hæsit. Mancinellus tacendo sibi cauit.

Cyathus.

Ligula.

Sequitur ligula siue cochlearium, quorum utrunq; multo frequentius pro instrumentis hauriẽdi, quàm pro certis mensuris accipitur. Perottus uolens differentiã inter linguam & cochlear explicare sic scribit de ligula, Item instrumentum ad similitudinem cochlearis, nisi quod cochlear concauitatem habet: lingua plana est, et oblonga in speciem linguæ facta. Quod uerũ non est, nã lingua æque caua est ac cochlear, quod satis ostẽdit Plinius cum ait, Linguæ mensura. Si enim mensuræ genus est, q̃ poterit esse planissimo potius hoc instrumentum quod ad linguæ similitudinẽ retractæ ad palatum,

Lingua forma

atq;

atque ita cauæ, factum esset, lingua dictum fuit: quæ sanè cochlearis est forma. Tum eius diminutiui usus nō obscurè monstrat cauum fuisse instrumentum. Plinius libro uigesimoprimo capite decimoquarto de cera loquens ait, Punica fit hoc modo, Ventilatur sub diuo sæpius cera fulua: deinde feruet in aqua marina, ex alto petita, addito nitro: inde ligulis eligunt florem, id est, candidissima quæque, transfunduntq; in uas, quod exiguum marinæ habeat frigidæ. Quo modo flos ex uase in uas commode ligulis, nisi essent cauæ transfundi posset? Sed Columella quoque libro decimo capite decimoquinto de melle conficiendo scribit, Deinde ubi liquatum mel in subiectum alueum defluxit, transfertur in uasa fictilia, quæ paucis diebus aperta sint, dum musteus fructus deferuescat: is sæpius ligula purgandus est. Hæc ille. Qui uerò purgabitur, nisi instrumento cauo? Demum Martialis libro octauo epigrammatum insulsum Pauli iocum ridens, qui de prætoricia corona solium mittēs phialā appellauit: quo nam modo apte iocum de phiala transferret ad ligulam & cochlearium, nisi caua essent? Versus eius sunt,

Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis?
Mittere cum possis uel cochleare mihi?

Liquet igitur ex his omnibus ligulam non planum, sed cauum fuisse instrumentum. Cæterum cochlearе Martiali dictum est à cochlea, quòd ea hoc instrumento cochleæ ingeratur, ait enim in apophoretis hoc disticho,

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ouis,

Nunquid scis potius cur cochleare uocer?

Quàmuis appellatum uideri possit à similitudine testæ ipsius cochleæ, quam nonnihil habet in concauitate, maxime si cochleam fractam ei compares. De diuersitate cochlearij libro tertio plura dicam. Restant nunc, libra, uncia & semuncia, quas nemo, qui nostra legerit, post hac ambiget Romanis mensuras fuisse. Ne itaq; uocis similitudo nos decipiat diligenter aduertendum: in primis ubi authores librã uel unciam liquoris alicuius dicunt, non adiecto pondo. Sed posset hic quispiam cõtendere, libram olei tantũ fuisse mensuram, quod etiamsi dederimus, Galeni authoritate neglecta, qui scribit liquorum fuisse, nihilo tamen minus capacitas mensurarũ hinc percipitur: unius enim mensuræ capacitate constituta, reliquarum iuxta proportionem, quam inter se habent, necessario consequitur. Iterũ contendat, neque Columellam cum scribit mensura semunciæ, neque Palladium cũ de scilla libro octauo titulo sexto, unius libræ mensura, sic intelligẽdos ut mihi placet, sed potius mensuram eiusmodi quæ libram, uel semunciam capiat cuiuspiam rei appensæ ab ipsis dici: cui respondeo, eam interpretationem mihi uideri multum coactam, tũ enim dicendum fuisset pondere libræ & semunciæ, quod magis proprium & minus ambiguum fuisset. Deinde ut Palladij locum non magnopere defensum concedã nihil probare, sed pro modo quodam siue ratione ibidem accipi mensuram, quia scillam nisi contusam commodè metiri nõ possumus, Columella addit, bene plenæ, quod

nescio

neſcio an unquam de põdere dici poßit. Dicimus enim modium cumulatum uel plenũ, uel plus modio: contra non plenum, aut minus modio: nullus uerò diceret, opinor, denarium cumulatum uel plenum, quod pondus ſit tantum, non etiam menſura. Igitur ex his perſpicuum eſt, ſemunciam etiã menſuram eſſe, non pondus ſolum. Sed ut demus nec hoc loco Columellæ quicquam effici poſſe, Galeni certe uerba clariſſima meæ ſententiæ de libra & uncia menſurali, ſunt præſidium firmiſſimum, nec minus eam confirmant ratio & experientia. Hæc quod earum menſurarum uſus in hodiernum uſque diẽ pharmacopolis utcunque manſit: illa quòd intelligimus menſuralibus rerum molem, ponderalibus grauitatẽ diſcerni, quæ non exiguam habent differentiam in medicamentis conficiẽdis. Nunc tempus eſſe arbitror, ut ad controuerſiam, quæ mihi cum doctiſſimis uiris eſt, ueniam, atque teſtimonia ſcriptorum quibus ſua probãt, aut refellam, aut oſtendam dicta alio ſenſu ac ipſi acceperunt. Quod niſi fecero, timendum ne plærique dubiũ uideatur adhuc, quæ nam ex iſtis ſententijs lancem in libra ſit depreſſura, quod quælibet ſuis authoritatibus appareat eſſe grauis. Verum Portij ſimplici eſt errore inuoluta, quòd ipſe unciarum numerum ſextarij Romani recte definiens, in hoc uno labitur, quòd ponderales dicat. Budæi uerò & Alciati, ſit uenia dicto, duplici: & quia in uncijs explicandis alter debitum numerũ exceßit, alter minuit: & quia uterq; ponderales aſſerit. Sed contra cõmunem lapſum primo differendũ cẽſeo.

3 pars propoſiti.

Libet itaq; mox eos interrogare, utrum ſtatuant in cõ mune ſextarium tot eſſe unciarũ, quot aſſerunt? an rei cuiuſpiam quã metimur? Si dixerint in cõmune, id quale ſit ne intelligi quidem poteſt. Nam ponderales unciæ pro rerũ quas metimur diuerſitate adeo uariant, ut uix duas res reperire poſsis, quæ prorſus idem pendeant. Quod qui credere noluerit, capiat quam uelit menſuram, ac eam nunc hac re, nunc illa compleat, & inueniet diuerſum pondus. Sin rei cuiuſpiã quam metimur dixerint, rurſus interrogabimus eos, num liquoris alicuius an aridi? ſi reſponderint liquoris: iterũ cum multi ſint liquores percontandi erunt, num ſextarius olei tot pendeat uncias? an uini? an aceti? an mellis? an lactis? an aquæ? an deniq; alterius liquoris? Si itaq; tum liquorem quempiã nobis expreſſerint, quantũ ille cum ſextarij ſit menſura pendeat ſolum dixerunt, de reliquis nihil. Sed ſi malint aridi reſpondere, ſimiliter ex ipſis quæremus an tritici? an farris? an ordei? an fabæ? an alterius? quodcunq; uerò tandem reſponderint, non niſi pondus illius cũ menſura ſextarij ſit ſe explicaſſe fãteantur neceſſe eſt. Quo modo ſi ſextariũ definiemus, nónne tot erunt ſextarij ſtatuẽdi, quot omnino ſunt res diuerſæ, quas metimur? Verũ tot noluerunt efficere, ſed unum ſextariũ certum conſtituere ipſis erat propoſitũ, quod minime facere poſſunt, niſi nobiſcum intelligere menſurales uncias cœperint, quæ cuiq; menſuræ perpetuo fixæ & firmæ permanent, quaſcunq; res metiamur. Hæc contrà lapſum cõmunẽ dicere uolui, Nunc uideamus

mus quo modo quisq; sua probauerit: ubi primo cum Budæo uiro Græce latineq; doctißimo agam, qui sextarium Romanũ duas libras pendere censet. Suam uerò opinionem firmare nititur authoritate simul & experimento. Authoritate quidẽ Hesychij sic scribentis de cyatho, Δέχεται δὲ ὑγροῦ τινὸς οὐγγίας δύο. Id est, capit uerò alicuius liquoris uncias duas. Hæc de Romano cyatho scripta esse Budæus corroborat his argumentis, Quòd Anastasij Imperatoris tẽpore, cum res Romanæ iam Græcis hominibus planè innotuissent, Hesychius scripserit, & quod uncias duas uocabulo dixerit Romano. In hunc fermè modũ Budæus. Equidẽ probaui duplices uncias esse, ponderales & mensurales. Hesychius autem ponderales non intelligit: siquidẽ scribit alicuius liquoris. Iam constat liquores non unius esse ponderis: etenim uinum grauius est oleo, si parem mensuram appenderis, & mel uino multo ponderosius, ut libro tertio explanabo. Cum itaque non adijciat cuius liquoris uncias duas capiat cyathus, cum ponderales intellexisse minime dicere possumus. Igitur necessario intellexit mensurales, sed de his nullum uerbũ fecit Budæus. Verum fingamus hominem summa laude dignum, nunc ita uelle sentire, q̃uis scire non possumus quid sentire uelit, nisi quòd optimũ quẽq; uirum ueritati consensurũ credimus, ne tum quidem de Romano cyatho sunt hæc dicta. Cum enim Galenus qui Romæ medicinã exercuit, ac diligentißime quantum ex scriptis eius apparet mẽsuras obseruauit, expreßis uerbis

dicat, sextarium Romanum uiginti esse unciarum, ex quo sequitur cyathum cōtinere sescūciam, drachmam, & scriptulum, nónne ipsi credendum est? Hesychium uerò dicendum de Romano non loqui? quod nec ipse asserit. Nam quòd Budæus ait res Romanas Anastasij Imperatoris tempore, quo scripsit Hesychius, hominibus Græcis innotuisse: certe, quod ad mensuras attinet, etiam Galeni, qui ferme quadringentos annos ante Hesychium medicinam perfecit, notæ erant, imò longe ante tempora Galeni. Romanis enim mensurarum & ponderum nominibus quibusdam paululū corruptis inter medicos Græcos celeberrimi sunt usi. Andromachus uterque, quorum pater Neronis fuit medicus, & Theriacen illam nobilem descripsit: filius uerò etiam Romæ paulò pòst insignis. Criton quoque Cæsareus medicus: præterea Asclepiades, Heras, Dioscorides, ac alij non pauci. Siquidem Sextarius ipsis ξέστης dicitur, Libra λίτρα. Vncia οὐγγία, qua de re sic scribit Galenus libro περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη primo, καίτοι θαυμάσειεν ἄντις, ὅπως ἐν ῥώμῃ διατρίβων, ἀντὶ λιτρῶν ὠνόμαζε κοτύλας. ἐπιχώρια γὰρ ταῦτα ὀνόματα τό, τε τῆς λίτρας, καὶ τὸ τοῦ ξέστου, καὶ τὸ τῆς οὐγγίας. Id est, Atqui mirari quispiam posset, quo modo Romæ agēs (de Andromacho iuniore loquitur) pro libris cotylas nominauerit. Hæc enim Romanis peculiaria sunt nomina, libra, sextarius, uncia. Cæterū de quo cyatho apud Græcos Hesychij uerba poßint intelligi, dicam sequenti libro, in quo

Græcas

Græcas mensuras tractare decreui. Budæus ergo hoc Hesychij testimonio, id quod ipse uult, minime probare potest. Deinde uerbis innititur Isidori, qui scribit libro decimosexto capite quinto & uigesimo, Hemina autem appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. Sextarius duarum librarum est, quibus assumptis nominatur bilibris. Hæc ille. Quàm uerò confusa, & plærisque in locis inepta sit Isidori de mensuris et ponderibus traditio, quisque facile, qui eam legere modo nõ auersatur, deprehendet. Quin Budæus ait etiam, non optimum ipsum authorem ne harum quidem rerum. Isidorus itaque libras & uncias mensurales prorsus ignorauit, ut ex eius scriptis obseruari potest: intelligit uerò ponderales, quod innuit uerbo, appendit, ait enim in heminæ explicatione, Hemina autem appendit libram unam. Quoniam uerò non explicat cuius rei hemina libram appendit, eius expositio fit planè dubia & incerta: nam neque liquores, neque arida in pondere, ut iam dixi, conueniunt. Igitur uerbis Isidori nihil probat Budæus, sed ipse aquam appendit, sua coniectura ductus, etenim Isidorus ibidem nullius prorsus liquoris, nedum aquæ mentionem fecit. Si itaque Isidorum de aquæ pondere locutum putat, id uel ex ipsius uerbis nobis confirmet, uel hanc explicandi mensuras consuetudinem Romanis in usu fuisse ostendat, ut quoties earum dicerent pondus, non aliud quàm aquæ intelligerent, quorum cũ neutrum facere possit, quis non uidet illum hoc teste nihil probare? Sed si Budæus se communem sextariũ con-

stituere, & uelit negare & posit, ac dicat duas libras aquæ põdere sextarium Romanũ mensura cõplere, non nisi quantũ sextarius aquæ pẽdeat dixit: sed ne tantum quidẽ pẽdet, ut lib. 3. dicturus sum, ubi quale nã sit experimentũ Budæi partim considerabo, partim in alio opere cuius iam antè quoq; mentionem feci. Hoc satis nunc sit, Budæum non posse probare neque ex Hesychij, neque ex Isidori uerbis Romanum sextarium dupondiũ esse. Verum idem Budæus uidens suæ opinioni ualde repugnare duos locos Plinij, è quorum altero apparet sextarium esse unciarum quindecim, altero uiginti: prior est ubi Plinius Atticas mensuras & pondera explicat: alter ubi loquitur de uino Opimiano: quomodo eam tueatur & defendat uideamus, postquàm Barbari retulit interpretationem inquit, Ex quibus uerbis etsi ambigere magis quàm rationem colligere doceamur, tamen, ut dixi, quod à me stat, id cupidè accipio & in rem meam uerto. Sic Budæus. Quid Hermolaus Barbarus senserit, tum ex suprà dictis, tum ex sequentibus intelligitur. Si uerò Budæus quæ consona ueritati sunt, ea uertit in rẽ suam, multis bene facit: sin minus, non paucos secum fallit. Sed pergit, Hac enim authoritate probo sextarium uel dupondium fuisse, id quod astruere conor, uel certe unciarum uiginti: cum apud Plinium legatur quindecim unciarum esse, id est, libræ & quadrantis, quod nullo alio testimonio subsistere potest. Sic ille. Sextarius Romanus neque dupondius fuit, neque si fuisset unquam ex hac authoritate potuisset probari: quod

uerò

uerò dicit, uel certe unciarum uiginti, omnino est uerum, etsi Budæus id nunquàm concesserit ex hoc loco probari. Apud Plinium autem non legitur sextarium Romanum unciarum esse quindecim, sed sequitur ex eius uerbis Atticum pendere uncias quindecim, quod infra declarabo. Sequitur in Budæo, Verum illud non concedo, ut uncia uini duodecima libræ pars sit, nec in sextario uncias uini uiginti esse dico, sed duodecim, et in amphora quingentas septuaginta sex, quas Hermolaus nongentas sexaginta esse putauit, id quod ante ex Martiale abunde probatum est, alioqui sextarius, quî citra controuersiam in duodenos cyathos diuiditur, non unciarum uicenûm, sed duodenûm tantum esset, si uncia uini apud Plinium ad pondus non ad mensuram referretur: quod nec Plinio sextario nec Pompeiano congruit, quodq; Hermolaum non aduertisse mirum est, præsertim cum Plinium in manus accepisset, quota est enim uncia pars libræ, tota est cyathus sextarij, & uncia tam ad quotam partem, quàm ad pondus refertur apud authores. Tantum Budæus: Vnciam non modo pondus, sed etiam mensuram esse recte sentit, in eo uerò solo errat hic Hermolaus ac cum eo Portius. Sed quod Budæus ait unciam pro cyatho sumi, hactenus non probauit, ut enim legimus sextantem pro duobus cyathis, quadrantem pro tribus, & item alias libræ partes pro cyathis, ita non facile inueniemus unciã pro uno cyatho. Quod etiamsi Budæus testimonijs scriptorũ probare posset, hoc tamen in loco sic unciam accipi debere,

quispiam

quispiam non sine caussa fidenter negauerit. Necesse enim tum erit, quo ea sententia non habeatur prorsus perinfirma. Plinij uerba uariè mutare, & usuras usurarum colligere, de quibus nihil hic dixit Plinius. Cum si unciam mensuralem nostram intelligamus uera hæc sint de sextario Romano, siue, ut Budæus, Pompeiano, et alteri Pliniano, qui Atticus est, ut ad ipsum non pertinentia nihil repugnent. Reliqua Budæi plura sunt quàm ut in loco referri possint, minus necessaria, quàm ut debeant. Quamobrem proxime ad Alciatum iureconsultũ nostra ætate doctissimum ueniam, quòd similiter duplici in errore uersetur. Is itaque libro quarto dispunctionũ capite uigesimo primo olim idem sensit de mensuris quod Budæus, sed nuper edito libello, atque commentarijs in titulũ de significatione uerborũ & rerum priori sententia repudiata, in hanc uenit, ut sextarium Romanum quindecim unciarum fuisse putet, soli confidens authoritati, quæ quidem hac parte sufficeret, si modo uerè esset intellecta. Primo Plinij qui scribit libro primo & uigesimo capite ultimo. Cyathus pendet per se drachmas decem. Sic igitur infert Alciatus, Cum in sextario constet duodenos esse cyathos, consequens est sextarium non XXIIII. uncias, sed drachmas CXX. hoc est, quindecim uncias pendere. Si de cyatho Romano hæc essent scripta à Plinio, sequeretur omnino tot unciarum esse sextarium: nunc cum de Attico, fit ut Cotyle Attica, quam heminam interpretatur, quæq; sex capit cyathos, pendeat uncias septem cum dimidia. Satis mirari

rari non queo, Alciatum uirum ingenij acuti & excellentis eruditionis non aduertere, Plinium eo loco de Græcorum, haudquaquam Romanorum mensuris & ponderibus loqui, cum ipse id apertis his uerbis dicat in principio capitis, At quoniam in mensuris quoque & ponderibus crebro Græcis nominibus utendum est, interpretationem eorum semel in hoc loco ponemus. Drachma Attica, ferè enim Attica obseruatione medici utuntur, denarij argentei habet pondus. Quid, quæso, clarius est quàm Plinium de Græcis loqui? cum dicat se Græcorũ nominum, quibus usurus sit interpretationem positurum? & re uera nomina quæ eo capite explicat Græca sunt, excepto heminæ, quod ipse pro cotyles nomine, & acetabuli, quod pro oxybaphi transtulit. Deinde medicos ait ferè uti obseruatione Attica, quorum scripta quia per interpretationem recenset, mensuras & pondera Græcorum sibi censuit esse declaranda, quo lector ea, q; diuersa à Romanis essent, intelligere posset. Nõ probabit ergo Alciatus hoc Plinij testimonio sextariũ Romanum esse quindecim unciarum. Postea Fannij carmine, quod item est de cyatho sua stabilire nititur,

Bis quinq; hunc faciunt drachmæ, si appẽdere tẽtes.

Ex quo efficitur idẽ qđ ex Plin. Nec de cyatho Romano, sed Attico dicta sunt. Fannius enim usq; adeo Romanas mẽsuras cũ Græcis cõfundit, ut neutræ satis certe ex eo constitui possint, útique dubites, tot diuersa colligendo offuderit ne magis tenebras mensuris, an lucẽ dederit, quemadmodum alibi copiosius exposui. Nihil

igitur

ATENEO VENETO VENEZIA

igitur ex Fannij loco probauerit nobis Alciatus. Budæus certe uir prudens aduertit Plinium diuersa tradere, atque hic loqui eum de medicis ponderibus ait, quæ à negociatorijs olim, ut nunc quoque differebant: præterea ex isto loco putat Fannij carmen emanasse. Sed iure mihi dicet uterque, uidés ne Plinium sic loqui? Cyathus pendet per se drachmas decem: num & eum interrogabis? cuius rei cyathus? aut quia id nõ expreßit, ipsum quoque damnabis? Quibus responsum uolo, si Plinius dixißet liquorem multum consuluisset apud posteros perspicuitati: uerum quia eius tempore non ignotum erat, maximè Græcis, ut libro tertio dicam, quis liquor significaretur, culpandus ille non est, sed nos sumus accusandi, qui quo sensu talia dicãtur, aut ipsi nescimus, aut certe non explicamus. Sed diceret Alciatus, nónne scripsi leuißimu tritici sextarium pendere uncias quindecim? fateor & illud ipsum uerũ esse, quia Plin. rhodiũ tritici leuißimi asserit pendere libras uiginti, credo. At enim triticum mensura Attici sextarij, qui ex loco Plinij, quo suam opinionẽ probat, constituitur, tantum non pendet: neq; Plinius ibidem de tritico intellexit, ut nec illi, de quibus loquitur, Græcorũ medici. Quid enim adeo pertinebat ad medicamenta tritici leuißimi pondus, relictis neglectis, tam exactè cõstituere? aut quid potius istius quàm grauißimu? Quasi maior ratio utilißimi tritici quàm optimi esse debuerit. Sed pendeat sextarius Romanus tritico leuißimo repletus uncias quindecim: tũc dicendũ est Romanus sextarius tritiã leuißimi pendet

det uncias quindecim: uel simpliciter Romanus sextarius pendet uncias quindecim. Alterum tamen dicendum non est, nisi ex consuetudine loquendi, de tritico leuissimo dictum intelligi possit, quam consuetudinem Romanus fuisse, difficulter aut nunquàm nobis probabit Alciatus. In commune uerò dicere sextarium esse unciarum quindecim, siue pendere uncias totidem: loquitur enim utroque modo idem intelligens, quo sensu dici possit non uideo. In uniuersum nanque nullus potest constitui sextarius, nisi unãs intelligas mensurales: nam si ponderales acceperis, tantum illius rei, quam aut expresseris, aut ex loquendi quodam more possis intelligere, sextarius statuitur. Sed se tamen sextarium habere Romanum ex Plinij sententia tritici leuissimi, quod est Gallicum, uel è Cheronesso aduectum, contendat Alciatus, atque hinc, etiamsi communis nullus fuerit, posse rerum aliarum pondus constitui, isto certo modo alius quispiam habere potest sextarium grauissimi, quod est Africũ, qui sextarius pendeat uncias uiginti, drachmas sex cum dimidia: alius medij alicuius, ut Sardij, qui pendeat uncias undeuiginti cũ dimidia. Cum igitur tanta sit uarietas tritici non diuersarum solum regionum, sed unius etiam, nam Gallicum quoddam Budæus longe grauius facit, quis ex pondere ipsius audebit constituere sextarium? etiamsi dederit nobis, ut cogitur dare rationi persuasus, iuxta pondus Romanis cõmunem nullum fuisse? Postremo diceret quis pro Alciato, de sextario Romano hæc ipsum forte nõ scripsisse, sed de Attico, de

51

quo

quo ſine dubio Plin. eſt intelligendus cũ pondera expli cat: audiat iſte uerba Alciati & dubitare deſinet, ſcri bit uerò ſic, Eadem ratione factum eſt, ut cum ſextarius Romanus quindecim unciarum ſit, ut ſuprà dixi, Græci ſuo ſextario uncias octo & decem attribuant. Sed hæc nunc meæ ſententiæ cauſſa tuendæ ſatis ſint. Reſtat ut argumenta diſcutiam Portij, ſtatuentis in commune ſextarium Romanum unciarum eſſe uiginti ponderalium, qui certe ſi pro ponderalibus dixiſſet menſurales, à uero non deſciuiſſet: quòd autem illas non has dicat, ex uerbis eius perſpicuum erit, quæ ſubijciam, Liquidorum itaq; menſuris, inquit, ita declaratis ut quid inuicem capiant & capiantur ſatis intelligi poßit, earum pondera quibus præcipue deprehendi & ad noſtras referri poßint, dicenda ſunt, & à minori ex iam dictis mitium capiam. Hemina pendet uncias decem, ſextarius uiginti, hoc eſt, libram & bes, congius libras decem, urna quadraginta, amphora octoginta, culeus mille et ſexcentas libras pendet. Ita Portius. Ex quibus non poteſt eſſe obſcurum, libras & uncias ponderales eum intelligere: ſcribit enim, pendet, quod ſi de menſuralibus ſenſiſſet, capit aut continet aut tale quippiam ſcribere oportebat. Sed diceret quis, Portius non negat ſe de ponderalibus ſentire: uerum uini ſextarium tantum pendere ait, nec ſine teſtibus, id enim ex Plinij loco, qui eſt de uino Opimiano, colligi poteſt, & Fannius clarè dicit his uerſibus, Nã libræ, ut memorant, beßẽ ſextarius addet.

Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyæi.

Domus

Demus nunc uerum esse uini sextarium Romanum pendere uncias uiginti : Portius certe non uoluit uini tantum explicare, sed communem tam liquoribus quàm aridis: unde fit ut modij pondus librarũ uiginti sex & unciarum octo, quod inde sequitur, esse dicat, quo tamen modio ueteres nullum liquorem, nedum uinum metiri fuisse solitos in confesso est. Ne uerò hæc credantur conficta, Portij uerba attendamus. Modij sex medimnum conficiunt, sextarij sedecim modium. Sextarios pono quia & his sicca & humida metiri consueuerũt. Horum singulorum pondus superius scripsi fuisse libræ & besis, id est, unciarum uiginti. Modij pondus ex computatione sextarij & amphoræ superius adducta, fiat librarũ uiginti sex & unciarum octo. Sic ille. Vides clare sextarium communem uiginti unciarũ eũ constituisse, non uini tantũ: tum enim modium non tot librarum dixisset esse, sed pondus aridorum cum modij mensurã implent, declarasset. Cæterũ hæc rerum quas metimur diuersitas in põdere, non minus ipsum ac alios torsit, quod ex istis quæ de mensuris sermonẽ incipiẽs scribit, percipere licet. Mensuræ igitur, inquit, liquorũ, ut ab his initium capiam, quæ frequentiores & stabiliores apud antiquos fuerunt, quia humida pondere inter se parum differunt: cum in eo sicca et præcipue semina, quibus uita constat, genere & specie raro conueniant, ut triticum à multo & utrunq; inter se. Sic Portius, qui eũ aduerteret esse diuersum pondus rerũ quas metimur, uiam munire conatur, qua tuto perueniat ad

ſextarij cõmunis definitionem: ſed quo modo? Humida aſſerit põdere parũ inter ſe differre. Videamus igitur an hoc uerè ſit dictũ de humidis. Olei ſextarius ex Fannij ſententia, quẽ ipſe ſequi uoluit, pẽdet uncias decem & octo, uini uiginti, mellis triginta. Differunt ne ergo parum? cũ mel uino decem uncijs ſit grauius? oleo uerò duodecim, id eſt, integra libra. Mihi ſanè plurimum diſtare uidentur, quæ etiamſi drachma ſolum una differrent, uix dicerem parum inter ſe differre, quod tum etiam diſcrimen ad libram examinati inſigne appareat. At Portius id auſus fuit dicere, cũ mel ſextarij menſura, oleo eiuſdẽ menſuræ plus pẽdeat drachmas XCVI. iuxta Fannũ, uino LXXX. Quid uerò ait de aridis? Genere & ſpecie non cõuenire, ideo eorũ menſuras non facile pondere deprehẽdi poſſe. Cur ergo modiũ pendere libras uiginti ſex & uncias octo ſcribit? quẽ ipſe recte ſentit aridorũ tantũ eſſe menſurã? Quæ nam iſta eſt inconſtantia? Nihil aliud reſpondere poteſt, niſi quòd ſextariũ cõmunẽ ſiccis æque ac liquidis conſtituerit, qui uncias uiginti, ſi diis placeat, pendeat, quantũuis inter ſe arida differant. Iam eius opinione intellecta, quibus ipſam probet conſideremus. Poſtq̃ dixiſſet quantũ quæq; menſura penderet, quæ uerba ſupra retuli, ſubiũgit, Hæc ex diſpoſitione tam dicta menſurarum, & ex multis authoribus & maxime ex Fauino ſupra dicto colligi poſſunt. Sic ille. Nos fatemur neceſſario conſequi ex proportione, quam menſuræ inter ſe habent, ut reliquæ tantũ pendeant, quantũ aſſerit, ſi

ſextarius

sextarius uiginti uncias pendet. Quia uero in cõmune statuit ipsum, nullo sensu dicta declarauit. Qui uerò sint isti multi authores, ex quibus hoc mensurarum pondus colligi posit, non intelligo. Ex Fannio certe, quem Fauinum nominat et ex quo maxime posse ait, id quod uult non colligitur. Nam is asserit uini & aquæ sextariũ, quod supra quoq; dixi, pendere uncias uiginti, olei uncias decẽ & octo, mellis triginta. Carmina eius sunt,

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios seruare liquores:
Nam libræ, ut memorant, bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ luentis olei,
Selibramq; ferunt mellis superesse bilibri.

Ex his liquet Fannium iuxta rerum diuersitatem diuersa sextarij protulisse pondera, nõ hoc sentire, quod Portius ex ipso probare contendit, sextarium communem pendere uncias uiginti. Si igitur Portius Fannium uoluisset sequi, quemadmodum Alciatus in cyathi calculo sequitur, oportebat eum quatuor liquorũ potissimorum pondera explicare, non omnium certum unum pondus statuere, & dicere parum inter se differre. Sed ferme scire me puto quid deceperit Portium. Legerat in Hermolai castigationibus sextariũ unciarum esse uiginti: deinde ex Plinio, de uino Opimij loquente, idem colligi posse animaduertebat: quibus motus definitiũ statuit pondus, et quia legerat apud Fanniũ uini et aquæ sextariũ pendere uncias uiginti, reliquos uerò liquores differre,

Camillus Agricola.

ut id dilueret, scribit parum inter se differre. Pergit, Et de amphora & sextario Sextus Põpeius attestatur. Illius uerba cum non citet credimus ipsum non plura q̃ nos inuenisse, uidelicet amphoram capere octo & quadraginta sextarios, sed fidẽ habere Hermolao Barbaro, qui scribit Festũ sic sentire. Demum ait, Et ex pulcherrima Pliniana cõputatione paucis cognita libro decimoquarto capite quarto scribendo de uino Opimiano colligitur. Gloriatur ibidem quæ essent usuræ semißium primo à se inuentũ, quod ut uerũ esse potest, ita fuisset multo credibilius, si Barbaro uiuente adhuc, illud sibi uindicasset. Non negabit tamen Barbarũ primo Plinij expositionem protulisse, quam cum retulisset Portius, mox aliter sensisse Plinium opinatur, cui opinioni, quã ex primis Hermolai castigationibus uenatus est, si locus ullus erit, nihil ex ipso probare poterit. Quam igitur incerta sit Portij de mensuris opinio, ex iam dictis quilibet intelligit. Quam ob rẽ ad Hermolaum Barbarũ, quẽ ille imitatus est, ueniam, nec is differentiæ huius inter libras & uncias mẽsurales ac ponderales usquam meminit, quam scientẽ ueri simile est, si eius studiũ obscurißima quæq; explicãdi consideramus, non fuisse taciturũ. Ipsum uerò ignorasse est indicio, quod postquàm duas sententias de sextario protulisset, alterã Festi, qui uiginti dicat esse unciarũ, alteram Africani, qui duarũ uel trium librarum, subiungit. Ita fit singulæ amphoræ LXXX. Festo, uel XCVI. Africano, aut certe CXLIIII. uini pondo capiant.

Pondo

Pondo dicit, ex quo nemo non intelligit eum de ponderalibus libris sentire. Sed profecto bene feciſſet, ſi Feſti uerba aſſcripſiſſet, quæ forte ipſe habuit, in noſtris uero exẽplaribus deſyderantur. Hæc pro mea ſententia defendenda libere magis & neceſſario, q̃ petulanter & temere dicta à me accipiantur etiã atq; etiã rogo. Viros enim illos ob ſummã eruditionẽ ãplector, & quouis honore dignos iudico, quos nihil mirũ in re tam obſcura à uero deuiaſſe, cum neminem è ueteribus opiner inuentũ iri, qui per omnia ueſtigijs ueritatis inſtiterit, ac non alicubi aberrarit. Illud unũ ſi rurſus dixero finẽ diſſerendi de menſuris liquorum faciam. Libræ & unciæ menſurales certæ & immobiles mẽſuris ſemper manent, ponderales uariæ ſunt pro uarietate tã aridorũ quàm liquorũ. Quocirca niſi quis humidũ uel ſiccum expreſſerit, aut ex conſuetudine loquendi intelligi poſſit, ponderales libras uel uncias in mẽſuris nunquam definire poteſt. Quod ſi etiam expreſſerit illius rei tantũ menſuras, cæterarũ minime declarauit. Nunc aridorũ menſuras uia & ratione non diſſimili exponemus. Modius capit duos ſemodios. Semodius ſextarios octo. Sextarius heminas duas. Hemina acetabula quatuor. Acetabulum ſeſquicyathum. Cyathus ligulas quatuor. Sed quia ſextarius capit uncias uiginti, ut ſuprà probaui, ſequuntur hæc ordine quodam. Modius cõtinet libras uiginti ſex, uncias octo. Semodius libras tredecim, uncias quatuor. Sextarius uncias uiginti. Hemina decem. Acetabulum duas cum dimidia. Cyathus ſeſcun-

ciam drachmã & scriptulũ. Ligula drachmas tres & scriptulũ unum. Hæc de Romanis mensuris aridorum mea est sententia, quã rursus testimonijs authorũ annitar confirmare. Vt autẽ à maxima mensura & hic ordiar, Modium aio duos semodios comprehendere, quod ipsius semodij uox satis significat: dictus enim est semodius à semis & modius quasi semimodius, elisa syllaba una, quod etiã in semuncia fieri uidemus. Cæteriũ quod uterq; sit aridoriũ mensura, nulla eget probatione cum passim in scriptoribus, præsertim rei rusticæ, & frumentaria Ciceronis sic inueniantur. Modius autem denominatus uidetur à modo, quod inter cætera nõ raro mensurã significat: inde modiale uas dicimus, quod modij habet mensuram. Vnde Plautus ait in captiuis,

Aulas calicésque omnes confregi, nisi quæ modiales erant.

Hinc etiam dicitur sesquimodius. Varro de re Rustica libro primo, Hoc licet cõiectura uidere ex aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere possis: quòd putamina suo loco quæque habet natura composita, cum eadem si fregeris uix sesquimodio concipere possis. Semodius autem sextarios octo continet, quod ex hac ratione liquet. Quadrantal tres modios, sex semodios, octo & quadraginta sextarios capit, ut Voluſius clare dicit, ut in quartarij narratione retuli. Igitur necesse est modium sedecim sextarios, semodium octo continere. Quemadmodum uerò à modio modialis ostendi formatum,

ita

ita quoque fit à semodio semodialis. Sic Cato capite LXXVI inquit, Hæc erit placenta semodialis. Sextarium porrò duas heminas capere non est necesse ut ultra probem: aridorum uerò mensuram fuisse declarant uerba Catonis quæ sunt capite CV. Scœnum & calamum in pila contundito, quod fiet sextarium unum: eodem in dolium confundito, ut odoratum fiet. Et Columella libro duodecimo capite quinto, Salis sextarium subterito. Et paulò pòst, Quidam ordei tosti sextarios quatuor. Sequitur hemina, quam quatuor acetabula cõtinere probaui: quòd uerò sit aridorum mensura, Catonis uerba quæ sunt capite CVII. explanant, Et iris aridæ contusæ heminam. Præterea Columellæ libro duodecimo capite XLIX. Sat erit autem totidem heminas salis adijcere, quot sunt modij oliuarum. Acetabulum uerò siccorum mensuram fuisse declarant autores. Cato capite CII. Si bouem aut aliam quamuis quadrupedẽ serpens momorderit, melanthij acetabulum, & quod medici uocant smyrneũ contenito in uini ueteris hemina. Cornelius Celsus libro quinto capite decimooctauo, Habet gallæ & immaturæ & alterius, coriandri seminis, cicutæ, lachrymæ aridæ, gummi, singulorum plenũ acetabulũ. Apud quem acetabuli usus frequẽs est. Plinius etiam scribit libro decimooctauo capite septimo, Quocũq; autem genere præparato, uicenis ordei libris ternas seminis lini, & coriãdri selibras, salisq; acetabulo, torrẽtes ante omnia miscẽt in mola. Cyatho autẽ sic utitur Columella libro secũdo capite

undecimo. Atque ita mense ultimo Aprilis serito tantum, quantũ ut singuli cyathi seminis locum occupent decem pedũ longum, & quinq; latum. Cornelius Celsus libro quinto de curatione papulariũ, Gith cyathos tres, picis aridæ unũ. Plinius præterea libro decimoquarto capite nono, Dulci è genere est et melitites, distat à mulso, quod fit è musto cum quinq; congijs austeri musti, congio mellis & salis cyatho sufferuefactis austerum. Ligula postremò pro aridorũ mensura usus est Columella, cuius uerba iam ante retuli. Pluribus autẽ probaui minores mensuras fuisse aridorũ, quò res fieret credibilior: uidentur enim quædã in his ex natura significationis liquorum tantũ esse mensuræ. Iam iterũ maiores in minores quasque resoluam. Modius capit semodios duos, sextarios XVI. heminas XXXII. acetabula CXXVIII. cyathos CXCII. ligulas DCCLXVIII. Semodius capit sextarios VIII. heminas XVI. acetabula LXIIII. cyathos XCVI. ligulas CCCLXXXIIII. Sextarius & reliquæ minores se habent ut in liquidis. Restat, ut instituto ordine paucis ea quæ obscura nobis occurrũt elucidemus, quæ repugnãtia elidamus. Mensuras itaq; siccorũ ab humidorũ mensuris nec Budæus nec Alciatus distinxit, sed eas confuse tradidit uterq;. Portius autẽ discreuit quidem, uerum dimunute de utrisq; scripsit. Nã in humidis omisit quartariũ, acetabulũ, cyathum, ligulã siue cochleariũ, libram, unciam. Quis uerò illi credet, qd asserit minores hemina medicis solũ in usu fuisse? cũ Liuius & Columella utantur quartario?

quartario? Acetabuli & cyathi usus apud authores frequens sit? Libræ & unciæ Romanis quotidianus fuerit in oleo uendendo? In aridis autem heminam, acetabulũ, cyathum & ligulam præterijt. Quibus tamen si nihil aliud, leguminum semina, ut hodie quoque paruis quibusdam mensuris uenduntur, olim fuisse diuendita credibile est, ac non medicis solum fuisse in usu. Sed fortassis illud hominem decepit quòd in aridorum mensuris modio & semodio atque sextario frequenter ueteres, maxime rei rusticæ scriptores utuntur, rarius hemina & acetabulo & cyatho. Nunc ad modium reuertar, in cuius capacitate declaranda multum fallitur Perottus, qui scribit ipsum duos & uiginti sextarios continere: licet ibidem legatur uitio librarij sestertios. Idem tradit modium quatuor modiolos capere, sed nullius id authoritate confirmat. Mihi quidem modiolus apud Plautum in Cistellaria mensuræ genus esse uidetur, cuius uerò capacitatis fuerit, fateor me ignorare. Ait autem Plautus, Quia ei promisi modiolum uini dare.

perotti error.

modioli capacitas ignota.

χοινίκιον certe Celsus modiolum transtulit, sed in diuersa significatione. Dicta sunt à modijs Decemmodiæ et Trimodiæ uasa rustica apud Columellam decem & trium modiorum. Acron uerò interpres Horatij cũ ait, Cumeræ dicuntur uasa minora, quæ capiunt quinque siue sex modios, quæ lingua Sabinorum Trimodiæ dicuntur, uidetur non aduertisse trimodias à numero trium modiorum, quos comprehenderent dictas, nisi locus corruptus sit. Demensum autem quid sit ubi χοίνικα declarabo,

clarabo, dicã. Medimnũ iccirco nõ addidi mensuris aridorũ Romanis: q, Græca sit, et Cicero in frumentaria non uteretur hoc uocabulo nisi de rebus Siculorum, qui non minima ex parte Græci erant, loqueretur. Satis de aridorũ mensuris. Clarũ ergo est quòd mensuræ liquorum tantũ fuerint apud Romanos, Culeus, amphora, urna, congius, quartarius. Aridorum solum, Modius & semodius. Humidorum & siccorum simul, Sextarius, hemina, acetabulum, cyathus, ligula. Hactenus Romanas mensuras, sequenti libro Græcas exponam.

GEORGII AGRICOLAE LIBER SECVNdus de Mensuris Græcis.



OMANAS MENSVras eò pluribus primo libro tradidi, ut ipsas lectori, quoad fieri posset, explicatas & dilucidas exhiberē, quamobrem si cui longior usus sum, is sciat me maluisse in hanc partē peccare potius, q̄ in obscuritatem incidere, in re tam perplexa breuitati nimis consulendo. Mea quoque contra doctissimorum hominum opiniones diligenter quidem minumeq; remisse, non tamen petulanter aut arroganter defendere uolui: adeò ut si docti etiam iudicarent, opera, studio, labore meo Romanas mensuras, quod ad earum capacitatem attinet, è tenebris quasi erutas, tandem suam lucem uere recepisse, equidem hanc laudem mihi soli non arrogarem, sed partiendā eam cum Budæo, Alciato, et Portio mea sponte arbitrarer. Nam eorū scripta, esto, me nō multū iuuerint, ut inuisse nō negabo, certè occasionē de his scribēdi, q̄d aliquid puto, præbuerūt. In Græas uerò si quid de studiosis eius linguæ hic meus labor meretur,

tur, credo me nõ admodũ arroganter facturum, si id mihi in solidum uindicarem. Et hic tamen Budæum & Alciatum, Portius enim solius medimni meminisse contentus est, libenter etiam in partem laudis admitto, uel ob hoc quòd studiose quædam collegerint. Nam quod ad reliqua attinet, illi minus in istis elaborarunt. Etenim Budæus tradit quidem Græcas mensuras, sed sic ut paucas à Romanis capacitate distinguat, utq; alibi easdem esse dicat, alibi in ijs nihil certi tradi posse ferè asserat. Alciatus uerò eas à Romanis discernere nititur, & in explicandis operam cõsumit, quo etiam plus negocij mihi cum illo erit, cum alijs duobus minus. Romanarum autem mensurarũ ratio hoc fuit expeditior, quod reip. maximæ quidem, sed unius tamen essent unicæ. Græcarum uerò inuoluta magis: primo quòd diuersarum rerum pub. imo unius nonnunquam fuerint diuersæ. Siquidem aliæ Atticæ, aliæ Ephesiæ, aliæ Alexandrinæ, ut reliquas non commemorem, tum aliæ medicæ, aliæ Georgicæ, aliæ Hippoiatricæ. Deinde quòd scriptores rei rusticæ omnes ac alij plurimi perierint: unde medicis mensuris exceptis reliquarum usus sic ostendi, ut ego cupio & studiosis arbitror utile, non potest: enitar tamen, quoad res ipsa feret, omnia diligentius explicare. Cæterum in hoc libro potissimum declarabo Atticas, quas & Medicas adpellamus, atque Georgicas, quòd ijs in primis authores usos esse constet. Adijciam autem ipsis & Hippoiatricas, quòd ars ueterinaria non omnino sit à medicina excludenda. Seruabo uerò prorsus eandẽ, quam

in

in Romanis, docendi seriem. Cum itaq; Atticæ siue medicæ mensuræ quoque dupluces sint, liquorum & aridorum, primo liquorum exponam, ὁ μετρητὴς ἔχει χόας. ιβ'. ὁ δὲ χοῦς ξέσας. ς'. ὁ δὲ ξέστης κοτύλας. β'. ἡ δὲ κοτύλη τέταρτα. β'. τὸ δὲ τέταρτον ἤτοι ἡμικοτύλιον ὀξυβαφα. β'. τὸ δὲ ὀξυβαφον κύαθον. αξ'. ὁ δὲ κύαθος κόγχας μοῦ. β'. μύστρα δὲ δ'. χήμας δὲ έ. ἡ δὲ χήμη κοχλιάρια β'. Id est, Metretes capit choas XII. Chus sextarios VI. Sextarius cotylas II. Cotyle quartarios II. Quartarius oxybapha II. Oxybaphum sesquicyathum. Cyathus conchas duas, mystra quatuor, chemas quinq;. Cheme cochlearia duo. Sed quia cotyle continet nouem uncias mensurales, facile hinc, calculis subductis, colligi potest, quot librarum uel unciarum mensuralium quæq; mensura fuerit. Capit igitur Metretes centum & octo libras. Chus nouem. Sextarius libram & semissem. Cotyle, ut dixi, uncias nouem. Quartarius quatuor cum dimidia. Oxybaphum uncias duas & drachmas duas. Cyathus sesciunciam. Concha drachmas sex. Mystrũ drachmas tres. Cheme drachmas duas, scriptulum unum, grana quatuor & quatuor quintas grani. Cochleariũ drachmã unam, scriptulũ dimidium, grana duo et duas quintas grani. Licitum sit mihi & hic minoribus ponderibus pro mensuris rei declarãdæ gratia abuti, ut intelligantur planè drachma & scriptulũ & granũ unciæ mensuralis, in quæ tametsi non sit usu diuisa, animo tamen diuidi potest, imo etiam re ipsa, si quis hanc operam uellet sumere nihil necessariam.

cessariam. Sic sentio de Atticis mensuris, quibus maxime medici utuntur, quam sententiam & ipsam authorum scriptis conabor probare. Metreten itaq; duodecim choas comprehendere Nicandri interpres his uerbis declarat. Μετρητὴς ἔχει ξέσας. οβ'. Hoc est, Metretes capit sextartos duos & septuaginta. Cum enim sex sextarij, ut mox ostendam, efficiant Choa, efficient omnino duo & septuaginta duodecim choas. Idem ex Fannij uersibus percipitur, qui mensuram hanc Atticam amphoram adpellat,

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies nostræ si adieceris urnam.

Si enim Attica amphora capit amphoram Romanam et urnam: Romana uerò amphora congios octo, urna quatuor, nónne sequitur Metreten continere Choas, qui Romanis Congij dicuntur, duodecim? Quòd autem Metretes & cadus idem sint, ex Dioscoride & Plinio est clarum. Nam ubi apud Dioscoridem μετρητὴς legitur, Plinius eius quasi interpres cadus reddidit. Verba utriusque quò res fiat clarior asscribenda censui. Dioscoridis Græcè afferam, ne cogar idem bis Latinè dicere, inquit ille, ὁ δὲ οἰνάνθινον σκευάζεται οὕτως, λαβὼν φλ ἀγρίας ἀμπέλου τὸ ἄνθος βρυούσης ξηρὸν μνᾶς. β'. εἰς μετρητὴν γλεύκους πρὸς ἡμέρας. λ'. ἔπειτα σταφυλίσας ἀπόθου. Quæ uerba Plin. sic Latina fecit lib. 14. cap. sextodecimo, Fit è labrusca, hoc est, uite syluestri, quod uocatur Oenanthinum, Flores eius libris duabus in mustí cado macerati post triginta dies

ta dies mutantur. Metretes autem ἀπὸ τοῦ μετρῶ, id est, à metiendo deriuatum est. Latini in eo cum mutatione terminationis et genus mutarunt, non tamen significationem: si quando enim Metretam dicunt, modiũ Atticum, mea sententia, intelligunt. Cadus uerò, nam & ipsum Græcum est ἀπὸ τοῦ χάσθω, quod capacem esse significat, aspiratæ in tenuem mutatione deriuari uidetur. Sed quod utrunque liquorum mensura sit, ex uerbis Dioscoridis & Plinij perspicuum fiut, & certe alter aliàs frequẽter Metrete, alter cado sic utitur. Nuncupatur idem mensuræ genus κεράμιον. Vnde Hesychius scribit, κάδος ὄστι κεράμιον. Id est, Cadus est ceramium. Quod fortasse aliter quis q̃ de mensura acciperet dictum, nisi intelligeret ex Dioscoride Ceramium & Metreten idem esse, ex eodem & Plinio atq; Fãnio Metreten & cadũ: ex quo id quod uolumus sequitur. Sic uerò Ceramio Xenophon libro sexto ἀναβάσεως κύρου usus uidetur, ὗτοι ξένια πέμπουσι τοῖς Ἕλλησιν, ἀλφίτων μὲν μεδίμνους τρισχιλίους· οἶνον δὲ κεράμια χίλια καὶ πεντακόσια. Id est, Hi dona mittunt Græcis, farinæ quidẽ tria millia medimnûm: uini uerò Ceramia mille & quingenta. Dioscor. quoq; de uino Hyssopite scribit, δεῖ δὲ τοῦ κεραμίου τοῦ γλεύκους, λίτραν μίαν τοῦ ὑσσώπου κεκομμένου φύλλων προσθεῖναι, Hoc est, Oportet autem Ceramio musti, libram unam hyssopi foliorum contusorum addere. Porro idem Dioscorides, ubi Romanam amphorã uult indicare differentiæ causa adijcit ἰταλικὸν τὸ

Mitretes

Cadus

Ceramion

Ceramio

Ceramio quàm Metretæ. Vt libro quinto de uino scillitico, λαβὼν σκίλλης ὑπὲρ μνημόνης καὶ κεκαθαρμένης μνᾶς. γ'. κάδῃ εἰς γλεύκους καλοῦ μετρητὴν ἰταλικὸν, ⁊ μῆνας ἓξ ἕασον. Id est, Accipito scillæ concisæ & purgatæ minas tres, ac immittito in musti boni Metreten Italicum, atque ita per sex menses sinito. Hic Metreten Italicum adpellauit amphoram Romanam. In eodem libro de uino absinthite sic scribit, οἱ μὲν γὰρ τοῖς μ'. καὶ κ'. ξέσαις τῶν ἰταλικῶν κεραμίων μίξαντες ἀφθονίου ποντικοῦ λίτραν μίαν. Quod est, Quidã enim quadraginta octo sextarijs Ceramij Italici miscuerunt absinthij pontici libram unam. Ibi Ceramium Italicum nominat simul explicans sextariorum esse octo & quadraginta, quod ipsum in Romanis mensuris est declaratum. Dioscorides itaq; si Atticam amphoram significare uult, simpliciter μετρητὴν uel κεράμιον uocat: Sin Italicam siue Romanam, quæ non paulò minor est, ἰταλικὸν, ut dixi, adiungit. Quemadmodum Latini cõtra Metreten amphoram Atticam adpellant, addentes Atticam, ut à Romana distinguant, quam simplici amphoræ nomine dicunt. Vtranq; uerò Græcorum medicis in usu fuisse, postquàm Romani Græciæ cœperũt imperare, uel ex Dioscoride liquet.

Chus.

Satis multa de Metrete. Sequitur Chus qui Choeus quoque dicitur. Hic ut apud Romanos Congius, sex continet sextarios, quod Cleopatra declarat, cuius pauca quædam de mensuris & ponderibus, sed ualde docta extant è libris κοσμητικοῖς excerpta. Sunt autem hæc

Cleopatra de mensuris.

eius

eius uerba, ὁ χοῦς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα. ξέσας δὲ ἕξ. Hoc est, Chus quidem habet mensura Cotylas Atticas duodecim, sextarios uerò sex. Idem Plinius indicat congium transferre solẽs. Dioscorides de uino quod è palmis fit ita scribit, ἐπίχει δὲ τοῖς δέκα χοίνιξιν ὕδατος χόας. γ'. Id est, Infunde ad Chœnicas decem aquæ congios tres. De eodem Plinius libro quartodecimo capite decimo sexto, Dioscoridem imitatus. Proximúmque ei è palmis, quo Parthi & Indi utuntur & oriens totus. Maturarum, quas uocant & Chydeas, modio in aquæ congijs tribus macerato expressóq;. Rursum Dioscorides de uino quod fit è nardo Syriaca & Celtica atq; malabathro, ἑκάστου ἡμίμναιον λαβὼν εἰς δίχους γλεύκους κάδους. Plinius, Apud alios nardi & malabathri selibris in musti congios duos additis.

Quin etiam carmina Fannij idem ostendunt,
Heminas recipit geminas sextarius unus,
Adde duos Chus fit uulgo, qui est congius idem.

Deriuatus autem χοῦς siue χοῦς uidetur ἀπὸ τοῦ χέω, quod est fundere, nam uasis genus etiam significat, quo aqua hausta fundebatur. Quod uerò sit humidi mensura ex iam dictis manifestum est. Tertium locum in Atticis mensuris obtinet ξέστης, quod uocabulum è Romana dictione, quæ sextarius dicitur, corrupta formarunt, ut claris uerbis, quæ libro superiori retuli, Galenus asserit. Nam neque nomen neque mensura hæc apud uetustiores Atticos scriptores inuenitur,

ſed una cum imperio Romano & uox & menſura in Græciam uenit. Vnde uſus eius apud Andromachũ, Heram, Aſclepiadem, Critonem, Dioſcoridem, ac nõnullos alios, qui dum res Romana floreret, de medicamentis libros ſcripſere, admodum frequens eſt. Laurẽtius Valla cenſor Latinæ linguæ acerrimus in Herodoti ſecundo ἀρυστῆρες ſextarios tranſtulit: quod ſi ἀρυστὴρ idem fuiſſet quod ſextarius Romanus, celeberrimi illi medici Græci dubio procul uſi fuiſſent ea uoce potius quàm Romana. Sed hoc non mirum de Valla, qui alibi Cotylen quoque uertit ſextarium. Cæterum ξέστης duas capit cotylas. Hinc Galenus libro primo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη ſcribit, ἔοικεν καὶ ὁ ἥρας ὅταν κοτύλην γράφῃ τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ ξέστου σημαίνειν. Id eſt, Videtur & Heras quando cotylen ſcribit dimidiam ſextarij partem ſignificare. Sed id ipſum præter medicos in qbus facilè poteſt obſeruari, Ariſtophanis interpres in Pluto his uerbis declarat, κοτύλη δέ ἐστιν εἶδος μέτρου, ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεστον. Hoc eſt, Cotyle autem menſuræ genus eſt, quod nos Hemixeſtum dicimus, Fannius etiam inquit,

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius unus.

Verum liquidi menſuram eſſe Crito oſtendit apud Galenum περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους cũ ait, ὄξους ξέστας. γ̄. Id eſt, Aceti ſextarios tres. Sed nihil opus eſt iſtis cum nuſquam non in Galeni libris de compoſitione medicamentorum exempla ſint obuia:

Error Valla.

obuia: quocirca ad cotylen ueniamus, κοτύλη uox est in Græcia nata: nã Romani heminæ uocabulo utuntur, quod ipsum ex Græco quidem ἥμισυ deriuatum est, sed Græci non ferè habent in usu, nisi cum Romanas aliquas medicamentorum compositiones in suam linguam transferunt. Hoc autem nomine cauum ipsi significant: unde κοτυλήρη appellauere, non modo uasis genus & mensuram, sed sinum etiam in quo caput fœmoris uoluitur, & concauitatẽ manus, quam uolam latini nominant. A cotyle quoque dicuntur κοτυληδόνες sinus tum uteri tum polypi, atque etiam herba ob similitudinẽ. Sed idem mensuræ genus τρύβλιον est dictum, ut scribit Cleopatra his uerbis, τὸ τρύβλιον τὸ αὐτὸ μέτρον χωρεῖ τῇ κοτύλῃ, ἔχει γὰρ μέτρῳ κυάθους ς'. Id est, Tryblion eandem quam cotyle mensurã capit: continet enim mensura cyathos sex. Dicitur eadem mensura ἡμίξεσον, id est, dimidius sextarius, quod uerba Aristophanis interpretis, paulo antè relata, declarant. Recipit uerò cotyle duo ἡμικοτύλια, quæ uox quia medicis, ut mox ostendã, in usu est, satis id ipsum quod uolo, probat. Mensuram autẽ humidi esse, hoc unum indicare potest testimonium, quo magis hic utimur, ut consuetã nobis confirmandi rationem alibi necessariã seruemus, q̃ ut id, tanquã multũ sit dubium, corroboremus. Soranus apud Galenũ libro primo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους ait, λιθαργύρου δραχμὰς κ'. ἀσβέστου δραχμὰς κ'. ὄξους κοτύλην μίαν. Id est, Spumæ argẽti drachmas XX.

Cotyle.

Calcis uiuæ drachmas XX. Aceti cotylen unam. Sequitur quartarius, qui τέταρτον ab ipsis nuncupatur, quod quarta pars sit sextarij: utriusque enim uocabuli ratio in promptu est. Hesychius quoq; mensuram esse dicit, licet capacitatem ipsius non explicarit: inquit uerò, τετάρτῳ μέτρῳ τῶν ὑγρῶν. Id est, Quartario mensura humidorum. Idem clarum est ex Dioscoride, qui in exponendis liquorum, quos metimur, ponderibus semper τετάρτου mensuræ post cotylen mentionē fecit, cuius uerba in Libello de mensuris & ponderibus, Galeno asscripto, quisque Græcarum literarum non omnino rudis legere poterit, quæq; nos in alio opere eiusdem cum hoc argumenti explicauimus. Vtitur sic Damocrates apud Galenum libro octauo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους, uersus est senarius, ξέστου τέταρτον ἐξ ἑκάστου μίγματος.

Id est,

Pars quarta Sextarij mixtura ex qualibet.

Eadem uerò mensura ἡμικοτύλιον, id est, dimidia cotyle, ut dixi, nuncupatur. Dioscorides περὶ θυμοξάλμης libro quinto, ἐπίχει ὕδατος κοτύλας. ϛ'. ὄξους ἡμικοτύλιον. Hoc est, Infunde aquæ cotylas sex, aceti dimidiam cotylen. Apollonius apud Galenum libro primo operis supra commemorati, ἕψησον μετὰ ὄξους ἡμικοτυλίου. Id est, Coque cum aceti dimidia cotyle. Liquet autem ex his liquorum esse mensuram, tametsi Damocrates medicus & poëta etiam ad arida traxerit. Capit uerò duo oxybapha. Cotyle enim duos quartarios,

quartarios, ut probaui, comprehendit: quatuor uerò oxybapha, ut ex Plinij uerbis perspicuum est, quæ sunt capite ultimo libri primi & uigesimi. Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem. Magis autem proprie iste locus hoc probat, quia de Atticis mensuris loquitur. Igitur quartarius necessario duo acetabula continet. Nunc explicãdum erit ὀξύβαφον, ita primo dictum uasculum ad infusionem aceti, ut in id intingerent cibum sumentes, paratum. Vnde Athenæus scribit, ἡ μὲν κοινὴ συνήθεια οὕτως λέγει τὸ ὄξους δεκτικὸν σκεῦος. Id est, Communis quidem consuetudo sic uocat uas quod acetum continet. Deinde mensura hoc nomine dicta, quam medici interdum κοτύλης τέταρτον nominant, ut Serapion apud Galenum περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη libro secundo, ἐλαίου κοτύλης μιᾶς ἥμισυ· ὄξους κοτύλης μιᾶς τέταρτον. Id est, Olei cotyles unius dimidiam: æstate uerò cotyles unius quartam. Per dimidiam cotyles partem quartarius, per quartam oxybaphum est intelligendum. Apud eundem libro primo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους inquit Apollonius, ὄξους κοτύλης τέταρτον. Id est, Aceti cotyles quartam. Capit uerò oxybaphum sesquicyathum, quod sic probatur. Cotyle siue Tryblion sex cyathos continet, ut ex Cleopatra dilucidum fuit, & hic Fannij uersus declarat,

Plinius illustrat.

ὀξύβαφον

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.

Necesse igitur est oxybaphon, cũ sit eius quarta, sesqui-

cyathum capere. Quòd uerò mensura liquoris, ex dictis intelligi potuit. Iam ad cyathum, quem superiori libro ἀπὸ τοῦ χύειν, id est, à fundendo deriuatum, diximus. Cleopatra autem his uerbis explanat quod duas conchas, quas ipsa uocat minores capiat, ἡ δὲ ἐλάττων κόγχη ἔχει μέτρῳ μὲν ἡμικύαθον. Hoc est, Concha minor capit mensura quidem semicyathum. Liquoris esse & etymologia probat, & satis testimonij est apud Galenum, nunc hoc unum sufficiat. Philippus medicus ut in quarto περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους scribitur, inquit, μέλιτος ἀττικοῦ κυάθονα. Id est, Mellis Attici cyathum unũ. Hinc transeundum esset ad minores mensuras, sed quoniã de ipsis diuersa admodum tradita sunt ab authoribus, differemus eorum explicationem in sequentem librum. Iam uerò est dicendum quoties quæque mensura unamquãque se minorem cõprehendat. Metretes itaq; capit choas XII. sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. quartarios CCLXXXVIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. conchas MDCCXXVIII. mystra MMMCCCCLVI. chemas $\overline{\text{IIII}}$ CCCXX. cochlearia $\overline{\text{V}}\,\overline{\text{III}}$DCXL. Chus capit sextarios VI. cotylas XII. quartarios XXIIII. oxybapha XLVIII. cyathos LXXII. cõchas CXLIIII. mystra CCLXXXVIII. Chemas CCCLX. cochlearia DCCXX. Sextarius capit cotylas II. quartarios IIII. oxybapha VIII. cyathos XII. cõchas XXIIII. mystra XLVIII. chemas LX. cochlearia CXX. Cotyle capit quartarios II. oxybapha

bapha IIII. cyathos VI. conchas XII. mystra XX IIII. chemas XXX. cochlearia LX. Quartarius capit oxybapha II. cyathos III. cõchas VI. mystra XII. chemas XV. cochlearia XXX. Oxybaphum capit sesquicyathũ, cõchas III. mystra VI. chemas VII. cum dimidia, cochlearia XV. Cyathus capit cõchas II. mystra IIII. chemas V. cochlearia X. Concha capit mystra II. chemas II. cũ dimidia, cochlearia V. Mystrum capit chemen unã et quartã ipsius partẽ, cochlearia duo cũ dimidio. Cheme capit cochlearia duo. Cochleariũ minima mẽsura est. Huc usq; capacitatẽ mensurarũ, qua explicatur quoties maior se minorẽ capiat, q̃ potui diligẽtissime declaraui, nunc ad alterã ueniendũ, qua quot librarũ uel unciarũ mẽsuraliũ quæq; mẽsura fuerit ostẽditur. Libras & uncias mẽsurales Romanis in usu fuisse primo libro satis multis probaui, iuxta quas si perpendamus Atticarum mensurarum capacitatem, cotyle capit uncias nouem, atq; sic hemina Romana cum una solũ excelluit. Quòd uerò ita se res habeat, idẽ Galenus, ubiq; summæ diligentiæ uir, asserit libro quinto, πρὶ σωθέσεως φαρμάκων κ τ γένη sic scribẽs: ὁ μὲν ἥμισυς. ϛ. σ'ραχμὰς ἔγχεται ἐς σαθμὸν ἀνά-ϛωμ, οὐκ ἐς μέτρον τὸ ἔλαιον, ὡς ξ'. σ'ραχμὰς ἑλκόσης δ κοτύλης, ἡ δὲ ἑλκὴ ἥγε ἀττικὴ. δ. οὐγ-ϛιῶν ὄυσα τ ἰταλικ῀, ἕλκουσι δὲ αἱ. ϐ'. οὐγγίας ἰταλικαί αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέραμ ἑπτὰ ἡμιλ ἥμισυ τοῦ οὐγγίας σαθμικὰς, ἕξτινες ξ'. σ'ραχμαί γίνονται, τῆς μιᾶς οὐγγίας. κ. σ'ραχμὰς

δεχομένης. Hoc est, Heras quidem centum octoginta drachmas scripsit, ad pondus oleum reducēs, non ad mensuram, tanquam cotyle pendeat drachmas sexaginta: pendet enim eas Attica, quæ nouem unciarum Italicarum existit. Etenim nouem unciæ Italicæ, in cornibus intersectis discretæ pendent uncias ponderales septem cū dimidia, quæ sexaginta drachmæ fiunt, si uncia una octo drachmas ceperit. Hæc ille. E quibus quilibet intelligit Atticam cotylen uncias nouem capere cornu libralis. Igitur ex ea certa stabiliq; sententia reliquarum mensurarum iuxta libras et uncias capacitas consequitur, quam supra exposui, & nunc nihil necesse est ut repetā. Sed restat ut quæ mihi repugnare uidentur excutiā, quæ intricata sunt explicē, quæ deniq; perperam dicta reijciam. Reuertar itaq; rursus ad Metreten, quā latini Metretam uocāt, ea pro uase in quo oleū seruabatur usus est Cato ita scribens capite cēteſimo, Oleū si in metretam inditurus eris, amurca ita uti est cruda prius colluito. An uerò id uas iustæ mensuræ fuerit incertum est. Apud Columellam certe uasis olearij genus hoc nomine significatur multo capacius Attica metreta, quippe quod recipit musti sexaginta sextarios & olei pondo octoginta, quæ & ipsa septē & quinquaginta sextarios complent et heminā, ac supersunt duæ unciæ mensurales. Simul itaq; collecti fiunt sextarij Romani centū decem & septē atq; hemina & duæ unciæ mensurales, cū metreta Attica tantū modo duos & septuaginta sextarios contineat. Præterea in idē uas ultra

tot

tot sextarios musti et olei immittit aridorũ libras undecim & uncias tres, ex quo duplo fermè capacius esse intelligitur metreta Attica. Columellæ uerba sunt hæc libro duodecimo capite primo & quinquagesimo de oleo gleucino. Hac autem ratione confici debet, Vas oleariũ quàm maximum, & aut nouum aut certe bene solidum præparari oportet: deinde per uindemiam quàm optimi generis & quam recentissimi, sextarios sexaginta cum olei pondo octoginta in id confundi: tum aromata non cribrata, sed ne minuta quidem contusa, uerum leuiter confracta in reticulum iunceum & lineum adijci, & ita cum saxi ponduſculo in olei atque musti partem demitti. Sint autem his portionibus pensata, quas infra subijcimus, Calami, schœni, cardamomi, xylobalsami, corticis de palma, fenugræci uetere uino macerati, & postea siccati, atque etiam torrefacti, tunci radicis, tum eã iridis Græcæ, nec minus aniſi Aegyptij pari pondere, id est, uniuscuiusque libram & quadrantem, ut suprà diximus, reticulo inclusa demittito, & metretam linito, post septimum diem aut nonum per se metretæ, si quid fecis aut spurcitiæ faucibus inhærebit, manu eximito & detergito. Hæc ille. Igitur aliquot sextarijs demptis hæc Metreta capacior duplo fiet Attica, qua de re non mensuram eo nomine, sed uas olearium significauit. Idem tamen Columella uidetur iustæ capacitatis metretam indicare libro XII. capite XXII. Picis liquidæ nemeturicæ metretam adde in labrum, aut in alueum, et in eodem infundito cineris lixiuiæ cõgios duos. Cadus quoq;

eadem

ATENEO VENETO VENEZIA

eadem cum metreta mẽsura Romana non fuit, quàmuis Plinius eo utatur, sed profecto non nisi ubi uel Græca transfert, uel de Græcis uinis loquitur, ut libro quartodecimo capite decimoquinto. Quid ni & Cæsar dictator triumphi sui cœna uini falerni amphoras centum, Chij cados centum in conuiuia distribuit. Nam falernum Italicum, Chium Græcum erat. Pro uasis uerò genere eius usus apud Latinos non est infrequens. Sic Columella cadum picatum dixit capite suprà citato, Post septimum diem oleum depleto, quod reliquum est musti picato cado recondito. Martialis quoque ait,

In uaticanis condita musta cadis.

Hinc ἡμικάδιον dimidius cadus, cuius mentionem fecit Philochorus ἐν τῇ ἀτθίδι ut scribit Pollux. Ab ipso fit & καδιχὸς, quod est cadalis, si licebit formare à Græca uoce, Romanis tamen usitata, tale denominatiuum, quale Plautus congialis, Plinius urnalis, Cato semodialis. Significat uerò καδιχὸς mensura cadi. Sic scribitur panes qui Dijs offerebantur fuisse καδϊχοὺς, nõ secus ac placenta à Catone semodialis, quod mensura sit semodij, adpellatur. Præterea idem mensuræ genus dicitur κεράμιον ut suprà probaui, tum etiã στάμνος & σταμνίον, quod uocabulum tanquam non satis Atticum propemodum reijcit Thomas magister in Atticorum nominum Eclogis cum ait, ἀμφορεὺς λέγε, μὴ στάμνος, μηδὲ μετρητὴς, εἰκαί τινες. Id est, Amphoreus dic, non stamnos, nec metretes, etsi quidam dicant. Miror nonnihil eum de stamno sic censere, cum Aristophanes

phanes ἐν βατράχοις utatur: ait uerò,
ὅτ' ἐγὼ μὲν ὢν διόνυσος ὑὸς σαμνίου. Id est,
Quando ego Dionysius stamnij sim filius.
Vbi interpres inquit, ὑὸς σαμνίου εἶπε παρ' ὑπόνοιαν. ἐπειδὴ ὁ οἶνος ἐν σαμνίου βάλλεται. ὁ δὲ διόνυσος εἰς τὸν οἶνον ἀλληγορεῖται. σαμνία δὲ ὃ σάμνους, τοὺς ἀμφορεῖς τοῦ οἴνου φασίν. Id est,
Filius stamnij dixit iuxta tacitam significationem, quandoquidem uinum in stamnium mittitur. Dionysus uerò per Allegoriam ad uinum refertur. Stamnia autem & stamnos amphoras uini dicunt. Idem Aristophanes ἐν τελμισεῦσι, ut Pollux citat,
οἴνουτε χίου σάμνον ἥκειν καὶ μύρου. Id est,
Vini uenire Chij & unguenti simul Stamnon.
Magis autē miror ipsum Metreten Atticam dictionem non putasse, cum Demosthenes eodem Polluce referente eā uoce sit usus: dixit uero οἴνου μετρητὰς, & usum eius antiquum fuisse è Latinis etiam scriptoribus Catone & Columella liqueat. Sed non immerito quispiam nobis obiecerit, Metreten non duodecim choum, ut dixi, esse capacem, sed decem tantum: quemadmodum Dioscorides scribit in uino è ueratro confecto his uerbis, ἐστὶ δὲ ὁ μετρητὴς χόες. ι̅, Id est, Est autem Metretes choum decem. Cui planè Budæus accedit Fannij asseueratione reiecta. Equidem malo hic in sententiam Alciati cōcedere, qui putat. β̅. detritū, quale non raro tēporis iniuria ueteribus codicibus accidisse obseruari potest ac. ι. solū relictū pro. ι β̅. sicq; legendū etiā apud
Dioscoridem

Dioscoridem χόες. ιβ. Mouet uerò me ut Alciato potius assentiar, quòd è cæteris omnibus, qui Metretæ capacitatem explicarunt, duodecim choum esse colligi possit, ut Nicandri interprete, Fannio, Dioscoridis et Plinij uerbis collatis, denique Cleopatra, ut in Georgicis, ubi eiusdem capacitatis est, explicabimus. De Metrete plus satis, nunc ad Choa ueniamus, quem sextariorum esse sex ex eisdem ferè authoribus ostendi. Quid itaque dicemus ad diuum Hieronymum, qui commentariorum in Ezechielem libro primo Choa Atticum, sextarium Italicum esse scribit? Alciatus qui hunc locum aduertit, duplicem eos habuisse Choa putat: ait enim, Quo fit necessario ut duplicem Choa eos habuisse dicendum sit: alterum, quo in humidis forte utebantur minorem: alterum quo in aridis maiorem: uasculum enim triticeum Choæ nice angustius nullum ipsi habebant. Sic Alciatus. Maiorem choa qui sex comprehendit sextarios, liquidi potius quàm aridi mẽsuram fuisse satis testimoniorum, quibus id ipsum probatur, suprà retuli: de minore an ullus fuerit uideamus, primo tamen audiendus est Alciatus, qui his uerbis adstipulatur Hieronymo, Quam sententiam ne improbem authoritas quoq; Plinij facit, qui lib. decimoquarto de Nectarite uino uerba faciens, quod apud Dioscoridem fieri legerat, uncijs quinque radicis ἑξ χοᾶς quinq; musti additis, uertit in sextarios sex, ut Atticum Choa apud authorem, quisquis fuit seu Dioscorides seu alius unde ipse accepit, legisse eum credam. De eo etiam intellexisse Athenæum arbitror, qui Rhyten

ton, cuius uasis etiam Martialis meminit, describens simile esse cornui dicit, & duos Choas capere, & ideo solis Heroibus dari utpote bibacioribus. Nam & regibus Spartanorum in conuiuio cotylas binas dari solitum fuisse apud Herodotum legi, cum cæteris sola cotyla daretur. Vnde ostenditur aliquanto parciores uini fuisse, quàm nunc nostrates homines sunt. Nam et Græca cantio Plauti in sticho, solos denos cyathos concedit, Horatius nouem, quoniam tres prohibet suprà, rixarum metuens tãgere gratia. Hæc ille. Quibus si accedimus fuit alter Chœus etiam Atticis in usu. Sed de priori non puto facile quenquam, qui nostra legerit, posthac dubitaturum, quin etiam Alciatus ipsum asseruit. In altero non absque causa poterimus assensionem sustinere. Nã apud Athenæum libro undecimo iustum Choa, non sextarij capacitate, accipimus. Quid enim mirum ῥυτὸν poculi genus capere duos Choas? cum ἐλέφας tres capiat? δῶν aliud poculi genus Metreten? Ait enim apud eundem Dionysius Synopeus,

δῶν μέγας Χοῶν μετρητήν.

Id est, Dinus magnus capiens Metreten. Sic enim scribit de poculis Athenæus. Apud nostros etiam sunt poculorum genera argentea, plumbea, uitrea, lignea, quæ plus quàm duos choas capiunt, quibus epotandis hospites bibaciores excipiunt diuites otiosi, quod non commemoro, quia laudo, sed ut probem talia pocula Græcis in usu esse potuisse, qui fuerint bibacissimi. De quibus Chamæleon apud eundem Athenæum, cum retulisset quosdam

dam pluris fecisse ebrietatem, q̃ diuitias, ait, οὐκ ἔχοντες ἑτέραν ἡδονὴν ταύτης καλλίω, οὐδὲ μᾶλλον εὐχερῆ, καταφεύγουσι εἰκότως ἐπὶ τὸν οἶνον. ὅθεν καὶ τὰ μεγάλα τῶν ἐκπωμάτων ἐπιχώρια γέγονε τοῖς δυνάσταις. Id est, Non enim habentes aliam uoluptatem hac neque honestiorem, neque magis in promptu, merito ad uinum confugiunt, unde et ingentia pocula familiaria facta sunt magnatibus. Hæc ille. In die etiam festo, quo inferias agentes, poculis certabant, quem inde χόας nominauere, qui cæteris præbibebat, πρόμαχος uerò ab ipsis adpellabatur, uelut præpugnans, quatuor choas ebibebat, quòd si tantũ quatuor sextarios bibisset, tãquam strenuum potatorem reliquis immerito præfecissent. Vt igitur à tribus congijs epotis Torquatus Romanis Tricõgius, Plinio referente, dictus est, ita πρόμαχος ille παραράχους diã potuit. Atque is nondum urnam uini bibebat: desunt enim duo sextarij Romani, cum Maximinus imperator amphorã, quæ duas urnas integras capit, si Capitolino credimus, die exhauserit. Quemadmodum uerò hic amphoram Capitolinam bibebat, ita Xenarchus Rhodius, eodem Athenæo authore, propter multam potationem dictus est Metretes. Athenæus igitur per Choa non intelligit sextarium, quod Alciatus uoluit. Quod uerò Lacedæmones in conuiuijs parciores uini erant Lycurgi legibus sic instituti, ut ab his & alijs abstinerent, nihil hic probat aut improbat. Sed Plinius facit ne sententiam Hieronymi improbet Alciatus. Certe semper is χοεῦς congium

congium uertit, ut suprà probaui, hoc uno loco excepto, quem deprauatum censeo. Dioscorides enim sic scribit, ὁ δὲ νεκταρίτης σκευάζεται ἐκ τοῦ ἑλενίου, ὃ ἔνιοι μηδικὴν. οἱ δὲ συμφυτον. οἱ δὲ ἰδαῖον φλόμον. οἱ δὲ ὀρέστιον. οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν. ἑλενίου ῥίζης ξηρᾶς οὐγγίας ε̄. ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας. ϛ̄. γλεύκους. Plinius sic transtulit, Inuenitur & Nectarites ex herba, quam alij Helenion, alij Medicam, alij Symphyton, alij Idæum phlomum & Horestium, alij Nectareũ uocant, radice põderis XL. denariorũ in sextarios sex musti addita, Nos legendũ arbitramur, radice põderis XL. denariorũ in sextarios trigintasex musti addita. Vt enim quinque uncias in XL. denarios, tanq̃ denarius & drachma idẽ sint, resoluit, ita sex etiã cõgios in trigintasex sextarios. Incertũ uerò est an illud, triginta, librarij alicuius incuria, ut nõ raro fit, sit omissum, an ipsius Plinij negligentia eadem illa qua scribit ochrã ex rubrica fieri, cũ rubrica fabrilis ex ochra fiat, ut in libello nostro de re Metallica indicauimus, quẽ Eras. Roter. rei literariæ nostra ætate facile princeps, & P. Plateanus Grammaticus nobilis ac Medicinæ studiosus nuper ediderunt. Quòd si quis malit legere, in congios sex musti addita, quia alijs in locis Plinius non consueuerit resoluere congium, per me licet, & idem erit. Præterea si quis assentiens Colenucio contendere uelit Plinium Dioscoridem non esse imitatum, sed alium quẽpiã qui sextarios sex scripserit, tum nihil est quod Alciatũ mouere possit Plinius quo

sententiam

sententiam Hieronymi non improbet. Nam quòd ipse credit Atticum Choa Plinium apud authorem, unde accepit, legisse, hic nimium est credulus, pace tanti uiri dixerim. Sed reuertar ad uinum Nectarites, id qui hodie parant, in musti mensuram amphoræ Romanæ, non ultra quatuor uncias inulæ campanæ siue Helenij coniiciunt, nisi quod ipsi coquunt. At si non coxeris uerum tribus mensibus, ut Dioscorides, antequàm diffundas sinas feruere, satis ualidum erit. Qua de re si quis sic, ut Plinij leguntur, composuerit, non uinum conditum, sed omnino pharmacum quoddam efficiet: est enim Helenium perualidum medicamentum. Denique si Atticorum choeus eiusdem capacitatis fuisset, cuius sextarius Romanus, quis credet? celeberrimos Græcorum medicos, quos supra commemoraui, & hic maluisse sextarij uocem corruptam in suam linguam transponere, atq; ξέστρ adpellare, cum eius locum χοεύς tenere potuisset, perinde ut Congij χοῦς obtinuit, et Heminæ κοτύλη. Quo fit ut Hieronymi locum putem aut depraua tũ, aut ualde negligenter ab ipso scriptum. Magis tamen depra uatum à librario qui notam Cotyles non intelligens genere mutato χόας substituerit in locum Κ ας, quod facile fieri potuisse, quicunque considerabit notas, intelliget. Quin etiam è Græcis quidam contrà pro sextario cotylen transtulerunt, abhorrentes à uoce Romana, ut paulo pòst declarabo, quàmuis æquè capaces mensuræ non essent, quos opinor Hieronymus sequutus, Cotylen Atticam et Italicum siue Romanum sextarium eadem esse

esse mensuras scripsit. Nam Atticum Choa eundem cũ sextario fuisse nunquam probaret Hieronymus, Manebit itaque Chus sextariorum sex. Sed quid dicemus ad Suidam & Aristophanis interpretem in Equitibus qui sic scribunt? χοῦς μέτρον ἀττικὸν χωροῦν κοτύλας ὀκτώ. Hoc est, Chus mensura Attica capiens cotylas octo. Nónne si uera sunt, tunc Chus non erit sex, sed quatuor sextariorum? Hæc utrunque ex uno aliquo scriptore, ut & alia permulta, excerpsisse clarum est. Is uerò mihi uidetur huius mensuræ capacitatem per cotylas Georgicas explicasse, quæ tredecim uncias mensurales cum dimidia capiunt, ut in sequentibus ostendã: continebat enim quæq; cotyle tres quartas sextarij, atq; ita semper tres sextarij quatuor tantum efficiebant cotylas: quocirca idem est dicere, Choa Atticum duodecim esse cotylarum, quæ nouem capiunt uncias, siue octo, ut ille dicit, quæ tredecim cum dimidia. Tum etiam quod ita sit intelligendum, ex Hesychio percipitur qui scribit, ἡμιδωδέκατον τὸ ἡμίχουν. Id est, Semiduodecima medimni pars Hemichus est. Ergo duodecima est idẽ quod Chus. Cum autẽ ea ipsa sit quatuor chœnicũ, ut infra explanabitur, Chœnix uerò trium cotylarum, necesse est quod Chus sit duodecim medicus medicarũ, Georgicus Georgicarum. Quod fieri non potest, nisi apud Suidam & interpretem Aristophanis cotylen accipiamus Georgicam. Postremò proportio illa sesquialtera satis indicat, Atticum Choa esse cotylarum Atticarum duodecim, quam proportionem inter medicas et

Georgicas mensuras omnes esse clarißime ostendam. Nisi itaq; istis mouerer, dicerem Choa medicum duodecim cotylarum, Atticum octo. Sed alius repente nos urget scrupulus. Idē Suidas inquit, χοὸς διξέστου, χοῦς γὰρ δύο ξέσται. χοεὺς δὲ ἕξ. Quibus uerbis significat, χοῦς unius syllabæ circumflexum, esse duorum sextariorum: χοεύς uerò dissyllabum accentus acuti, sex. Quam differentiam uanam esse & futilem quilibet ex authoribus quos citauimus intelligere potest. Nā mensura eadem interdum χοῦς dicitur ab ipsis, interdum χοεὺς. Neque fuit ullus mea sententia Chus duorum sextariorum. Errorem uerò sic contigisse arbitror, scriptum erat χοίνικος hac nota ϫ ος, deinde διξέστου declarationis causa, quod quispiam librarius legens χοὸς tanq̄ genitiuus esset à χοῦς hanc differentiam inter χοῦς & χοεὺς confinxit, quod nemini mirū uidebitur, qui aduertet in libello de ponderibus & mensuris ubi scriptū esse debet, ὥστε τὸν μέδιμνον ἔχειν χοίνικας μη̄, à quodā qui notas legere nesciuit μνᾶς pro χοίνικας factum: erat uerò hæc nota ϫ ας. Sed de his et similibus qsq; qd' uelit statuat, ego nihil asseuero, ne quæ in his corrigere uoluerim, deteriora fecisse dicar. Veri similia enim afferre soleo, quæ si quis leuia & infirma esse conuincat grauibus et firmis argumentis, nō inuitus cedā. Certe libros deprauatos multā rebus obscuritatē inuexisse, et ex ea deinde uarias et falsas opiniones exortas esse, nemo opinor, negabit. Quid uerò hoc in loco faciemus, si non idē contigisse dixerimus,

suidæ error.

erroris causa.

mus, ac pro uno Choe Attico, fœcundo quodã partu natos quatuor? Primũ duodecim cotylarũ, qui uerus est. Alterũ octo, qui aliquo sensu uerus esse potest. Tertiũ duorum sextariorum, id est, cotylarum quatuor. Quartum huius dimidium, hoc est, duarum cotylarũ. Qui duo, si quid ego iudicare possum, ex notis quas homines rerum imperiti legere nesciuere nobis gignuntur, eò enim sua insciitia sunt progressi, ut modo non unius cotyles Atticum Choa constituerint. Vt demum finiam, Atticus Chus capax est sextariorum sex, siue cotylarũ Atticarum duodecim. Nunc ad ξέστης qui inter mensuras Atticas receptus duplam proportionẽ habet ad cotylen, id est, capit uncias decem & octo mensurales. Alciatus uolens Græcum sextarium explicare, totidem quidem unciarum esse dicit, sed ponderalium, quod satis ex unciæ interpretatione liquet, que cuiusmodi sit libro quinto in ponderibus Græcis expendã. Ego præter Romanum sextarium non scio alium ab authoribus explicatũ, quàm qui cotylas Atticas duas capit. Sed audiamus quibus sua probet: ait igitur, Sed et Græci ξέστης suum, quem sextarium Plinius solet appellare, libræ esse scripserunt unius, itemq; semißis: sic Paulus Aeginetа, sic & interpres Nicandri, sic & Suidas ipse in dictione μέδιμνος prodidit. Hæc illæ. Quæ Paulo Aeginetæ adiecta sunt, siue ipse, siue alius scripserit, Romanas mensuras explicãt diuersis liquoribus refertas, inter quos olei sextarius pendet libra et semisse. Liquet uerò inde etiã nõnihil Romanas esse, qđ oritur

sic, κεράμιον ἰταλικὸν, id est, Amphora Italica. Cæterum eadem explicatio mensurarum Romanarum est in libello de mensuris & ponderibus, unde conijcere possumus & hic utrunq; ab uno aliquo illa sumpsisse, aut alterum ab altero. Sed dicet quispiam, quid causæ fuit, cur Græci Romanas mensuras explicarint? Est quod huic respondeamus, Nonnulli Græci, qui Romæ medicinam exercuere, scripserunt libros de medicamentis, in quorum compositionibus siue mixturis Romanas mensuras usurparunt, partim eas Atticis, partim latinis nominibus appellantes, ut paulò pòst ostendam: quod autem olei sextarium nonnulli, qui explicarunt mensuras, tantum pendere scripserint, libro tertio declarabo. Deinde dicit Alciatus sic sentire interpretem Nicandri, qui cũ plura his uerbis non habeat, ὁ ξέστης ἔχει λίτραν. ἄ. ἡμίσταν. Id est, Sextarius habet libram unam & semissem: non potest satis intelligi quid sibi uoluerit. Si enim ponderales acceperimus de Romano sextario, olei pleno, est dictum: si mensurales de Attico. Porrò Suidas intellexit mensurales, unde etiam Atticum sextarium, ut in aridis exponam. Pergit Alciatus, Huic sententiæ etiam accessit Serapion Arabs medicus, qui apud Dioscoridem libro primo capite de pinu, quod Græce legitur tres cyathos, quatuor uncias ipse transtulit: constat autem cyathos duodecim in sextario esse. Sic ille. E quibus efficitur sextarium Græcum sedecim unciarum esse, quod nemo prodit: reddunt igitur hæc Serapionis, ipsius Alciati sextarium Græcũ magis ambiguum,

guum, quàm certum. Budæus autem mensuras Romanas & Atticas adeo putat easdem, ut eò deueniat tandem, ut credat Parrhisios suos etiam Solonis mensuris & põderibus uti, quia arbitratur se probasse, ipsos uti uel hodie Romanis. Nunc ad Cotylen Atticam, quæ medicis potißimum fuit in usu, Galeno teste, qui libro primo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη sic scribit, ἐκ πολλῶν φαρμάκων πάλαι συγγεγραμμένων, πρὶν εἰς τοσοῦτο δυνάμεως ἠυξῆσθαι τὰ ῥωμαίων, ἐςοχασάμην, ἣν ὀνομάζουσι ἐκεῖνοι κοτύλην, ἴσην εἶναι ταῖς κατὰ τὴν νῦν ἐν ῥώμῃ λίτραν οὐγγίαις ἐννέα. Id est, Ex multis medicamentis olim conscriptis, priusquam res Romanæ in tantam potentiam uenirent, conieci, quam illi nominant Cotylen, parem esse uncijs nouem libræ Romanis nunc consuetæ. Idem libro sexto eiusdem operis, εἰκὸς οὖν ἐςὶ τὸν ἀνδρόμαχον. θ. τῶν μετρικῶν οὐγγιῶν ἀξιοῦν ἐμβάλλεσθαι δὲ κίκινον ἔλαιον, ὡς γίγνεσθαι τῶν ἓξ κοτύλων οὐγγίας. νδ. μετρικὰς, ὅπερ ἐςὶ ταυτὸν λίτραις μετρικαῖς ῥωμαϊκαῖς. δ'. καὶ ς'. Id est, Consentaneũ igitur est Andromachum nouẽ unciarũ mensuralium oleũ ricininum censere esse inijciendum, ut sex cotylæ fiant unciæ mensurales quatuor & quinquaginta, quod idẽ est cum libris mensuralibus Romanis quatuor & dimidia. Hæc ille. Ex quibus intelligitur medicos maxime usos Cotyle Attica, atq; ita etiã alijs mẽsuris iuxta proportionẽ quã habent ad cotylen. Quin etiã Plinius idẽ sentit scribens, Ferè enim Attica obseruatione

BIBLIOTECA ACADEMIA VENEZIA VENETO

tione medici utũtur. Vnde ego motus has mẽsuras medicas appellaui. Sed hoc tamen in uniuersum uerũ non est, nam ijdem Græcorum medici interdum Romanis utuntur mensuris non mutata capacitate. Hinc Plinius recte & prudenter dixit ferè. Id ipsum uerò probandũ censeo uerbis authorũ. Sic usurpat Amphorã Romanã Dioscorides libro quinto de uino absinthite, οἱ μὲν γὰρ τοῖς. μ. κ. η. ξέσαις τῶν ἰταλικῶν κεραμίων μίξαντες ἀψινθίου ποντικοῦ λίτραν μίαν. Id est, Hi quidẽ octo et quadraginta sextarijs Romanarum amphorarũ miscentes absinthij librã unã. Andromachus uerò sic usus est congio Romano, quod declarat Galenus libro sexto περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους his uerbis, τὸ πλῆθος δὲ τοῦ χυλοῦ χοέος εἶναι κελεύει, τουτέστι ξεστῶν. ϛ. τῶν ῥωμαϊκῶν ξεστῶν. Id est, Multitudinẽ succi choeos esse præcipit mẽsura, hoc est, sextariorũ sex Romanorũ. Iubet enim Andromachus ex sententia Galeni, succum mali punici in medicamentum inijciẽdum mensura congij, qui Romanis est sex sextariorum. Subnectit nanque, ἐν ῥώμῃ γὰρ ἰατρεύσας, τὰ πάντα τοῖς τῆς πόλεως [illegible] χρῆται μέτροις. Quod est, Cum enim Romæ medicinam exercuerit omnino huius urbis utitur mensuris. Verum non modo sic interdum in usu habuerunt Choa pro Congio Romano, qui uincit Atticum integra libra, et ξέστην pro sextario Romano, qui Atticũ superat duabus uncijs mẽsuralibus, sed et Heminæ uocabulo, licet raro, usi sunt, omnino Romanã mensuram indicare uolentes;

uolentes: ut idem Andromachus iunior apud Galenum περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους lib. 7. εἶτα ἐπίβαλε στροβύλων πεφωγμένων ἡμίναν. Hoc est, Deinde inijce nucũ pinearũ exiccatarũ heminam. Epicharmi quoq; uerba cõmemorãtur hæc ab Athenæo libro undecimo, καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο. Id est, Et bibere aquã duplam calidã heminas duas. Et Sophronis, κατάστρεψον τέκνον τὴν ἡμίναν. Hoc est, Subuerte puer heminam. Hinc conijcere licet iam olim Græcos hac uoce Italica usos, quam Diodorus in libro de uocibus Italicis est interpretatus, ut idem Athenæus scribit, Ista exempli loco satis nunc sint, in quibus non obscure cernimus, Græcos etiã, potißimũ medicos, Romanas mẽsuras usurpare, easq; aliquando Romanis uocabulis, aliquando suis, sed ferè adijciẽtes differentiæ causa ῥωμαϊκὸν uel ἰταλικὸν, significare. Quidam igitur per cotylen intelligunt nouem uncias mensurales, quæ est Attica: alij decẽ, quæ est Romana hemina: nonnulli libram mensuralem Romanam. Cum enim inuenirent apud latinos libram pro mensura, neq; uellent dictione Romana uti, neq; haberent ipsi mensuram, quæ illi prorsus responderet, cotylen, ut quæ proxima in capacitate esset, transtulerunt. Licet Galenus ac alij quidam non spreuerint Romanã uocem, sed ea ambiguitatis causa uitandæ uti maluerint. Fuerunt nanq; Romanis insignes medici, Antonius Musa, Aelius Gallus, Caßius, Apuleius, Celsus, Scribonius Largus, Valens, ac alij nonnulli, é quibus non pauca

medicamenta in suam linguam Græci transposuerunt. Sed quod ita cotyle interdum utantur Galenus ostendit libro sexto περὶ συνθέσεως φαρμάκων κτ. γένη *de Andromacho filio loquens,* πάντως γοῦν ἐχρὴν αὐτὸν καὶ ῥωμαϊκῆς λίτρας μνημονεῦσαι· νυνὶ δὲ κοτύλας γράφει τὴν συνήθη περὶ τοῦ μέτρου τούτου καταλιπὼν ἡμῖν ἀμφιβολογίαν, εἴτ' ἐννέα μετρικῶν οὐγγιῶν, εἴτε δώδεκα βούλεται τὴν κοτύλην εἶναι. *Id est, Omnino certe oportebat ipsum Romanæ libræ mentionem facere: nunc autem cotylas scribit consuetam de hac mensura ambiguitatē nobis relinquens, an nouem unciarum mensuralium, an duodecim cotylen esse uelit. Sed clarius id dicit libro quinto eiusdem operis,* καὶ ἤδη καὶ πᾶν τοῦτο πρόσθεν εἶπον ἐν τῷ πρώτῳ τῶνδε τῶν ὑπομνημάτων, ὡς ἐγχωρεῖ καὶ τῶν ἰταλικῶν οὐγγιῶν θ. τὴν κοτύλην εἶναι, κἀθάπερ τινὲς ᾠήθησαν· ἐγχωρεῖ δὲ καὶ ιβ. ἐμβάλλειν, ὡς ἄλλοι κελεύουσιν. *Quod est, Aiqui totū hoc iā ante dixi in primo libro horū cōmentariorū, quod licet Cotylen nouē unciarū Italicarū esse, ut quidā putarunt: licet autē et duodecim inijcere, ut alij iubent. Hæc ille. Qui igitur nouē immittunt Atticā accipiunt cotylen: qui duodecim, librā Romanā eò loci significari arbitrātur. Clarißime demū Galenus ipse sic usus declarando ostendit* ὑγιεινῶν *libro quarto,* ἔστω δὲ τὸ μὲν ἔλαιον ἔντι τῶν χαλαστικῶν, οἷόνπερ ἐν ἰταλίᾳ δὲ σαβῖνον. ἐμβαλλέσθω δ' εἰς τὰς εἴκοσι καὶ πέντε κοτύλας μόδιος ἰταλικὸς τοῦ

σπέρματος

σπέρματος καὶ ἐλάτης οὐσῶν δὲ τῶν κοτυλῶν ἰταλικῶν ἃς δὴ καὶ λίτρας ὀνομάζουσι. Id est, Esto uerò eius generis oleum cui relaxandi uis insit, cuiusmodi in Italia Sabinum est. Conijcies autem in quinq; & uiginti Cotylas seminis abietis modium Italicũ. Sint uerò cotylæ Italicæ, quas utique & libras nominant. Perspicuum igitur est quod Græci medici nonnunquàm Cotyle sint usi pro libra mensurali. Galenus tamen ac alij quidã libræ uocabulo frequentius utuntur. Sed Guarinus Veronensis et Gregorius Tiphernas excusari nõ possunt, quorũ alter in Strabone δεκακοτύλους transtulit decem librarũ, alter ἀττικὴν κοτύλην acetabulũ Atticũ, nec Laurent. Valla qui in Herodoto κοτύλην Sextariũ interpretatur, siue Atticã siue Georgicam acceperis. Habuerunt enim hi Romanam uocẽ Heminam, per quam redderent proximius, si omnino reddendum putarunt. Postremo quidam medici uel abhorrentes à uoce sextarij, quæ Romana est, uel quia non haberent mensuram per quam proprie redderent, cotyles uocabulo pro ea sunt usi: quemadmodum etiam Plutarchus, ut suprà indicaui, locum Liuij uertens. Hoc ipsum uerò Galenus quoque mihi uidetur ostendere libro sexto περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη, quem locum quia diuersi usus cotyles ibi meminit, omnino adscribendum putaui, οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τῶν γραψάντων περὶ μέτρων ἐν σταθμῶν. ϛ. φασὶν οὐγγιῶν τῶν ἐκ καὶ ῥωμαϊκῆς λίτρας τὴν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις γεγραμμένην κοτύλην. ἄλλοι

λοιπὸν δὲ τὴν τῶν ιβ̄. φασὶν οὐγγιῶν ὑπ' αὐτῶν λέγεσθαι, καθάπερ ἐν ῥώμῃ τὴν λίτραν τοῦ ἐλαίου σωνήθως ὀνομάζουσιν. ἤδη δέ ποτε καὶ ἤκουσα λέγοντος ἐκκαίδεκα οὐγγίας ῥωμαϊκὰς ἔχειν τὴν ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις γεγραμμένην ὑπὸ τῶν ἰατρῶν κοτύλην. Id est, Maxima itaque pars eorum qui de mensuris & ponderibus scripserunt, nouem dicunt unciarum libræ Romanæ Cotylen definitam à medicis in libris de medicamentis conscriptis. Alij autem duodecim unciarum dicunt ab ipsis dici: sicut Romæ olei libram de more adpellant. Audiui uerò quendam qui cotylen dicebat habere uncias sedecim definitam à medicis in libris de medicamentis scriptis. Hæc ille. Libro autem primo eiusdem operis adijcit δίμοιρον ut exacte fiat sextarius Romanus: ait uerò, ῥᾳδίως δ' ἀποπίπτουσα, κἂν ἐκκαίδεκα ᾖ δίμοιρον οὐγγίας τὴν κοτύλην ἔχειν ὑποθώμεθα, καθάπερ ἔνιοι φασί. Hoc est, Facile autem decidit, licet sedecim uncias et duas eius partes cotylen habere statuamus, quemadmodum nonnulli aiunt. Sed dicet quispiam, quomodo pro sextario Romano acceperunt, cum tres unciæ atq; tertia ipsius pars desint integro sextario, qui est unciarum uiginti? id libro sequenti exponam, nunc satis sit hanc diuersitatem cotyles indicasse, qua cõsiderata medici q Græcos legunt diligenter debent aduertere, quid cuique compositioni conueniat, aut quæ nam uires medicamentorum è mutata cotyle resultent. Hæc de cotyle. Hic uero mihi cũ Portio prorsus negotij nihil est, neq;

cum

cum Budæo, qui de Græcis nihil fixum statuere se posse dicit, quandoquidē Plinius id præstare nō potuit: quippe cū nec ipsis Græcis de ea re cōueniat, quæ pro locorū urbiumq; uarietate ac tēporum fortasse identidem euariarunt. Sic Budæus. Cum Alciato autem parum qui Græcos suo sextario decem & octo uncias attribuere scribit, unde fit cotyle nouem unciarum: si igitur uncias, ut paulò antè dixi, intellexisset mensurales, quemadmodū non nisi ponderales nouit, uere dixisset, modo explicasset etiam qui Græci, sed hoc fortasse leuius, illud fortius tum, quod non sentiens bis Atticum sextarium explicauit, primo cum ait Romanum pendere uncias quindecim: pendet enim tot uncias Atticus oleo, ut dicam libro sequenti, refertus, minime uerò Romanus, deinde cum decem & octo unciarum asserit Græcum. Est enim tot omnino mensuralium Atticus. Hæc nunc sufficiant, nam supra eius argumenta, quibus probat sextarium Græcum, expendi. Atque tantum de Atticis siue medicis mensuris humidorum, quas fateor, ut pondera diuidam libro ultimo huius operis, diuidi posse in Atticas puras, et medicas, quæ partim sint Atticæ, partim Romanæ, sed ad Atticam rationē translatæ: breuitatis tamē gratia id ipsum hic facere neglexi. Ne uero ista parte etiā quippiā desyderetur, Puræ Atticæ sunt, Metretes, Chus, Cotyle, Oxybaphon, Cyathus, Mystrum, Cheme, Cochlearium. Medicæ autem & illæ & præterea Sextarius atque Quartarius, quorū hūc ipsi τέταρτον, illū ξέστην appellant. Iā aridorū mēsuras iuxta eandē rationē trademus,

mensuræ puræ Atticæ.

ὁ μέδιμ

ὁ μέδιμνος ἔχει χοίνικας. μη̄. ἡ δὲ χοῖνιξ κοτύλας. γ̄ ἡ ξέστης ας̄ ὁ δὲ ξέστης κοτύλας. β̄. ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβαφα. δ̄. τὸ δὲ ὀξύβαφον κύαθον. ας̄. ὁ δὲ κύαθος κοχλιάρια. ῑ. Quod est, Medimnus capit chœnicas octo & quadraginta. Chœnix cotylas tres uel sesquisextarium. Sextarius cotylas duas. Cotyle oxybapha quatuor. Oxybaphon sesquicyathum. Cyathus cochlearia decem. Quoniam uerò cotyle capit nouem uncias mensurales sequuntur hæc, Medimnus capit centum & octo libras. Chœnix libras duas & quadrantem. Sextarius uncias octo & decem. Cotyle nouem. Oxybaphon duas & drachmas duas. Cyathus sesunciam. Cochlearium drachmam unam, scriptulum dimidium, grana duo & duas quintas grani. Hæ sunt Atticæ mensuræ aridorum, medicis maxime in usu, quod rursus enitar probare. Medimnum capere octo & quadraginta Chœnicas in Georgicis pluribus explicabo, nunc hoc Suidæ sufficiat. Μέδιμνος μέτρον χοινίκων. μη̄. Id est, Medimnus mensura chœnicum octo & quadraginta. Hunc uerò medicis in usu fuiße probare nequeo: magnis enim mensuris perraro utuntur. E Chœnice tamen is sequitur eidem Suidæ sic scribenti, Μέδιμνος μέτρον ἐστὶ ξηρῶν οἷον πυρῶν ἢ κριθῶν. μέδιμνον ὀῶν μοδίων. ϛ̄, ὡς εἶναι μέτρον ξεϛ̄. οβ̄. ἤτοι λιτρῶν. ρη̄. Id est, Medimnus mensura est aridorum ut tritici uel ordei. Medimnus igitur modiorum est sex, ut sit mensura sextariorum duorum & septuaginta, siue librarum centum & octo. Ita Suidas. Illud uerò sex

Medimnus,

modiorum

modiorum esse medimnum, de hoc non est intelligendū, sed de Georgico: nam ille medicus aut modiorum Romanorum tantum est quatuor, ac supereſt sesquisextarius exacta ratione. Aut modus solum modo est sextariorum duodecim Atticorum, quorum prius modiorum numerum minuit alterum capacitatem, neutrum uerò cum ueritate consentit. Sed de his plura in Georgicis. Eiusdem sententiæ cum Suida est Alciatus qui ait, Censeo igitur Metretam, Cadum, Medimnum, Amphoram Atticam eiusdem fuisse ponderis. Hæc ille. Cæterum in memoriam sunt reuocanda, quæ suprà de Metrete scripsi: nempe quod & ipse sextariorū sit duorum & septuaginta, & libras mensurales capiat cētum & octo: unde prorsus eadem capacitas esset, si itaque uno eodemq; liquore implerentur mensuræ illæ, isq; penderetur idem pondus prouenireț. Sed quid de hac re sentiamus, in Georgicis statuimus uberius explanare: nunc ad Chœnica ueniamus, quam tres cotylas capere declarat Cleopatra hisce uerbis, χοίνιξ ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας τρεῖς, σταθμῷ δὲ δραχμὰς ρπ̄. Id est, Chœnix habet mensura cotylas tres, pondere uero drachmas centū & octoginta. Ex his licet primo cognoscere Chœnicem trium cotylarum medicis fuisse: deinde etiam tot, quot dixi, unciarum mensuralium, quod ipsum tamen melius intelligetur ex libro sequenti, in quo rerū, quas metimur, pōdera tradā: quot enim drachmas Cleopatra definit, tot pendet oleum. Igitur si Chœnix tres cōtinet cotylas, continebit omnino sesquisextarium. Quem etiam

Alciati sententia.

Chœnix.

Dioscoridis

Dioscoridis & Plinij loci collati talem usum Chœnicis fuisse demonstrant. Dioscoridis est de uino quod fit è palmis, λαβὼν φοίνικας τὰς χυδαίους πεπείρους βάλε εἰς πυθάκνην τετρημένην ἐν τῷ πυθμένι καὶ ἐσφηνωμένην καλάμῳ πεπισσωμένῳ. τὸ δὲ τρῆμα λίνῳ βεβύσθω. ὕδωρ δὲ τοῖς δέκα χοίνιξιν ὕδατος χόας. γ̄. Quod Plinius sic reddidit lib. 14. capite sextodecimo. Proximumq; ei è palmis quo Parthi & Indi utuntur & oriens totus. Maturarum, quas uocant & Chydæas modio in aquæ congijs tribus macerato expressoq;. In decem chœnicum locum, modiũ substituit. Efficiunt enim decem Chœnices cotylas triginta, sextarios uero quindecim. Romanus autem modius, ut primo libro probaui, sedecim est sextariorum. Plinius non æstimans unum sextarium, modium transtulit, nolens Græca uoce uti. Quàmuis minus etiam est, si in Dioscoride è Chœnicum resolutione non statim Romanos sextarios colligas, sed primum Atticos, deinde ex his Romanos. Sed Laurentius Valla alioqui ob Latinam linguam à barbarie uindicatam summa laude dignus, ualde errauit Chœnica uertens in tertio Herodoti, modium. Tum in sexto libro parum memor prioris opinionis δύο χοίνικας duo semodia reddit, quem Cœlius in opere antiquarum lectionum non satis diligenter antiquas mensuras excutiens sequitur. Porrò Chœnicis usus non adeo infrequens est medicis. Nam Chrysermus apud Asclepiadem, ut Galenus refert libro octauo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους, ait,

ὀρόβων

ὀρόβων ἀλικλεσμμένων χοίνικα. Id est, Erui moliti Chœnicem. Apud eundem libro decimo Erasistratus inquit, καππάρεως ῥίζης κεκομμένης καὶ σεσησμένης χοίνιξ ἕις. Id est, Capparis radicis concisæ & cribratæ Chœnix unus. Hinc fit ἡμιχοίνικον. Dioscorides de uino è ueratro, ὀρκευθίδων ἡμιχοίνικον. Hoc est, Granorum iuniperi dimidiam Chœnicem. De hac satis: sequitur ξέστης siue sextarius, quo pro aridorum mensura sæpenumero usus est Galenus & alij quorum ipse medicamenta recenset, ut περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους libro primo, Μύρτων μελάνων ξέστ. α. σελίνου σπέρματ. ξέστ. α. μυρσίνης ἀκρεμόνων ξέστ. α. ἀνήθου ξέσου τὸ ἥμισυ, λαδάνου τὸ ἴσον, οἴνου μέλανος ξέστας. ε. Quod est, Myrti nigri sextarium unum, seminis apij sextarium unum, summitatum ramorum myrti sextarium unum, adianti dimidium sextarium, ladani tantundem, uini nigri sextarios sex. Quod uero Cotyle sit aridorum mensura non desunt exempla, sed Asclepiadis nunc sufficiat, qui sic usus est apud Galenum eiusdem operis libro nono, γλοίου κοτύλας. ε. λεπίδ. δραχμὰς. ις. κηκίδ. κοτύλας. β'. Id est, Viscicotylas sex, squamæ æris drachmas sedecim, gallæ cotylas duas. Oxybapho sic usus est Dioscorides περὶ θυμοξάλμης scribens, θύμου λέου ὀξύβαφον, ἅλμ᾽ ἴσον. Id est, Thymi tusi oxybaphō, salis tantundē. Galenus quoq; ait libro περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους quinto, περπέρεως λευκοῦ ὀξύβαφον. Id est, Piperis albi

sextarius.

Cotyle.

oxybaphum.

albi oxybaphum. De cyatho satis sit hoc Dioscoridis, cæteris, quæ permulta sunt, relictis, ὁ δὲ μελιτίτης πρὸς ε̄. χόας ἀυστηροῦ γλεύκους μέλιτος χοῶν ἕνα, ἁλὸς κύαθον ἕνα. Hoc est, Melitites uerò fit adiecto ad quinq; congios austeri musti mellis congio & salis cyatho. Quod uerò cochlearium sic sit in usu, audiamus hoc unum Galeni testimonium, quod scriptum est in operis iam sæpius citati libro secundo. Critonis est compositio, σαρίδος καὶ ὀριγάνου ἀνὰ ὀξυβάφου, νίτρου δραχμὰς β̄. λεῖα δίδου κοχλιαρίου πλῆθος διαμασᾶσθαι, ἕως ἂν πλυθῇ τὸ σῶμα, εἶτα χανὼν ἐάτω ῥεῖν. Id est, Herbæ pedicularis & origani singulorum oxybaphum, nitri drachmas duas, tusa da ad manducandū cochlearij mensura, usque dum os saliua impleatur, tum hians sinito effluere. Hæc de aridorum mensuris. Nunc consueto docendi more maiores mensuræ in minores sunt resoluendæ. Medimnus capit chœnices XLVIII. sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. cochlearia VIII DCXL. Chœnix capit sesquisextarium, cotylas III. oxybapha XII. cyathos XVIII. cochlearia CLXXX. Sextarius capit cotylas duas, oxybapha VIII. cyathos XII. cochlearia CXX. Cotyle capit oxybapha IIII. cyathos VI. cochlearia LX. Oxybaphon capit sesquicyathum, cochlearia XV. Cyathus capit cochlearia decem. Iam transeundum esset ad tertiam sermonis instituti de mensuris aridorū partē, in qua difficiles locos consueui explicare,

summa aridorum mensurarum.

explicare, sed quia pauca hic occurrunt de alijs dicẽdaquæ de Medimno dici possunt mox in Georgicis diligentius exponam: tum etiam ibidem excutiam, quæ de Chœnice à scriptoribus sunt tradita: nunc Alciati quædam expendenda qui sic scribit, Metron enim ut eius poëtæ interpres attestatur præcipue Chœnica appellabant, ex eo quòd illa principium sit omnis ferè mensuræ, quapropter et à quibusdam libra dicta est, sed impropriè. Sic ille. Primum recte ex Aristophanis interpretis sententia scripsit. A quibus uerò Chœnix libra sit dicta neque ille explicat, neq; equidẽ scio. Pergit, Videtur Rhemnius Palæmon non ipsam Chœnicem, sed eius dimidiũ libram appellasse, dum Atticam libram cõmemorat ponderis drachmarum LXXV. Hæc quomodo Alciato uenerint in mentem conijcere nequeo: nec enim Fannius hoc sensit, neque uideri potest id sensisse: Dimidium enim Chœnicis illius sunt drachmæ centum & octo, cũ uetus mina Attica, quam explicat Fannius, sit tantum drachmarum quinque & septuaginta. Subnectit deinde, Erat autem Chœnix, ut Iulius Pollux, & Suidas, & interpres Nicandri ait, cotylarum trium, id est, ut idem interpres inquit, septem et uiginti unciarũ Græcarum, quantum utaelicet in dies singulos panis solebãt serui antiqui demetiri. Hæc ille. Quæ uera sunt, & de Chœnice Attica, quàm Medicã diximus, scripta, modo intelligeret Alciatus uncias mensurales. Tandem ait, Vnde apparet Chœnicis Atticæ differẽtia ab alia cõmuni Græcorũ Chœnice, quæ sextariorũ quatuor erat.

Alciatj Locus.

Hactenus Alciatus. Primum an Chœnix talis fuerit nec ne, forte non sine causa in dubiũ uocari posset. Deinde si fuisse concedamus Græci cuiusdam & interpretis Nicandri uerbis atq; Fannij uersu moti, nemo certe ex illis communẽ Græcorum dicit: quare quibus in usu fuerit prorsus est incertum. Palladius quidem Syrorum Chœnicis meminit, sed eius capacitatem nõ explicauit. Quia uerò usus istius è bonis authoribus probari non potest dubitauerit quispiam, an num ex Choe qui octo cotylarum esse traditur à Suida & Aristophanis interprete, nata sit insciția librariorum alteram uocem pro altera scribentium: ut contrà Choa ex illa ortã uideri posse suprà dixi. Verum de rebus incertis ut ego nihil definire uolo, ita quisq; iudicet, qd' ipsi uidebitur, præsertim cum in ea Chœnice non multũ situm sit, ut quæ neq; Medica, neq; Georgica mensura. Iam satis de aridorum mensuris, è quibus si auferas sextariũ puræ remanebunt Atticæ. Porrò liquet ex dictis quòd liquorum tantum mensuræ fuerint medicæ, Metretes, Congius, Quartarius. Aridorũ solũ Medimnus et Chœnix. Vtrorumq; Sextarius, Cotyle, Oxybaphũ, Cyathus. Minores uerò, ut dixi, in sequenti libro, tertio huius operis, diligentius declarabo. Sequũtur Georgicæ mensuræ, quæ si rei Rusticæ scriptores ulli essent reliqui, dubio procul doctius & certius tradi possent: cum uerò ne unus quidẽ in nostras manus peruenerit, Cleopatræ fœminæ doctißimæ scriptis imitemur. Quoniã autem & hæ duplices sunt, primo liquorum exponam, ὁ μὲν μετρητὴς ἔχει

ἔχῃ ἀμφορέας. β'. ὁ δὲ ἀμφορεὺς χόας. δ'. ὁ δὲ χοῦς ξέσας. θ̄. ἤτοι κοτύλας. ιβ̄ ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβα φα. δ'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κυάθους. ς'. ὁ δὲ κύαθος μύστρα. δ'. Quod est, Metretes capit amphoreas duos. Amphoreus choas quatuor. Chus sextarios nouem, siue cotylas duodecim. Cotyle oxybapha quatuor. Oxybaphon sesquicyathum. Cyathus mystra quatuor. Cum autem cotyle Georgica capiat tres quartas sextarij, erit omnino capax tredecim unciarum mensuralium & dimidiæ, atque ita iuxta hanc proportionem Metretes continet ceneum & octo libras. Amphoreus quatuor et quinquaginta. Chus tredecim cum dimidia. Cotyle libram & sescunciam. Oxybaphon tres uncias & drachmas tres. Cyathus uncias duas & totidem drachmas. Mystrũ drachmas quatuor cum dimidia. Hæc nostra est de Georgicis mensuris sententia: redeo itaque ad Metreten, quod uerò is capiat duos amphoreas declarat Cleopatra, quæ inter cætera sic se in Georgicis inuenisse scribit, καὶ τὸν ἀμφορέα ξεσῶν. λς̄. κοτυλῶν. μκ̄. τὸν δὲ μετρητὴν ξεσῶν. οβ̄. κοτυλῶν. ηϛ̄. Id est, Et Amphoreã (intellige inueni in Georgicis) sextariorũ sex & triginta, cotylarum octo & quadraginta. Metreten uerò sextariorum duorum & septuaginta, cotylarum sex & nonaginta. E quibus quisque rationem inire uolens, intelliget Metreten duos amphoreas capere. Idem planè dicit interpres Nicandri his uerbis, ὁ ἀμφορεὺς ξέσας τριακονταέξ. ὁ μετρητὴς ξέσας ἑβδομηκοντατρίς. Id est, Amphoreus capit sextarios sex & triginta,

Mens. georgicæ.

Metretes

Amphoreus

Chus. Cotyle

oxybaphon. Cyathus

mystrũ.

triginta. Metretes duos & septuaginta. Numerus enim ille sextariorum consequitur si in eos cotylas redegeris. Secundum locum obtinet amphoreus capiens quatuor choas, quod sic probari potest. Chus, ut iam ostendam, capit cotylas duodecim. Amphoreus uerò, ut scribit Cleopatra, octo & quadraginta, in quibus quia calculis subductis quater duodecim esse uides, sequitur amphorea choas quatuor continere. Vtitur autem eo Aristophanes in Pluto,

Οἷ ἀμφορῆς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου. Id est, Quin amphoræ nigri atque odori Liberi.

Et Herodotus libro primo alterius crateris, qui Delphos una cum aureo à Crœso missus erat, capacitatem explicans ait, ὁ δὲ ἀργύρεος ἐπὶ τοῦ προνηΐου τῆς γωνίας, χωρέων ἀμφορέας ἑξακοσίους. Id est, Argenteus autem in angulo uestibuli templi, capiens amphoreas sexcentos. Apud eundem Lacedæmones dono mittunt Crœso cratera æneum μεγαθέϊ τριηκοσίους ἀμφορέας χωρέοντα. Hoc est, Capacitate trecentos amphoreas continentem. Sed de hoc satis. Chus duodecim cotylas capit, ut eadem Cleopatra explanat, τὸν δὲ χοῦν ξεστῶν θ̄. κοτυλῶν δὲ. ιβ΄. Rursus intellige in Georgicis inueni, Choa sextariorum nouem cotylarum duodecim. Ad huius differentiam puto Galenum declarationis gratia adiecisse, τουτέστι τῶν ξεστῶν. ϛ̄. quod est sextariorum sex. Addidit uerò & ῥωμαϊκῶν ob eam causam, quam iam antè dixi. Sequitur Cotyle, nam sextarij capacitatis ipsius declarandæ gratia mentio facta

ctæ est, quæ comprehendit quatuor oxybapha siue tryblia: nam eædem hic sunt mensuræ, cum in medicis fuerint diuersæ: qua de re uideamus uerba Cleopatræ, τὸ τρύβλιον καὶ ὀξύβαφον ὁμοίως ἔχουσι κοτύλης δ'. Id est, Tryblion & oxybaphon similiter capiunt cotyles quartam. Hinc Aristophanis interpres in Equitibus scribit, τρύβλια δὲ τὰ ὀξύβαφα. Id est, Tryblia autem oxybapha. Et hæc recte. In aubus uerò non manet in eadem sententia super hoc uersu,

Ὀξύβαφον φύτευθεν πρόσθου λαβὼν ἢ τρύβλιον.

Id est,

Oxybaphon hinc acceptum appone aut tryblium. Putat enim diuersum his uerbis, ὅτι τὸ τρύβλιον μεῖζον ἦν ὀξυβάφου. Id est, Quòd tryblium maius oxybapho. Est nanq; maius in medicis, nempe idem quod cotyle, ut tũ declarauí. Hic uerò in Georgicis eiusdem capacitatis est, cuius oxybaphũ, quod sesquicyathum capere eadẽ Cleopatra ostendit, tam supra dictis adiungens, κύαθος κοτύλης τὸ ς'. Id est, Cyathus capit cotyles sextã. Si oxybaphon quarta est cotyles, cyathus autẽ sexta, nemo non intelligit & hic oxybaphon capere sesquicyathum perinde ac in medicis mensuris. Cæterum quod cyathus cõtineat quatuor mystra, ex Columella rerum Rusticarum scriptore probari posse arbitror, qui hunc locum, quem & supra libro primo attuli, dubio procul è Græco suæ artis authore aliquo transtulit: inquit uerò, Præterea fœnum Græcum maceratur in uino uetere per triduũ: deinde eximitur & in furno siccatur, uel in so-

le: idq; cũ est aridũ factũ molitur, & ex eo molito post salsurã musti cochlear cumulatũ, uel simile genus pocu li, qđ est quarta pars cyathi adijcitur in binas urnas. Hæc ille. Quibus uerbis uoluit explicare μῦσφον: quod uerò id sit quarta cyathi, declarat Fannij hemistichium, At mystrum cyathi quarta est.

mens. Summa

Nunc dicendum quoties quæq; mensura se minorem ca piat. Metretes itaq; cõtinet ãphoreas II. choas VIII. cotylas XCVI. oxybapha CCCLXXXIIII. cya thos DLXXVI. mystra MMCCCIIII. Amphoreus capit choas IIII. cotylas XLVIII. oxybapha CXC II. cyathos CCLXXXVIII. mystra MCLII. Chus capit cotylas XII. oxybapha XLVIII. cyathos LXX II. mystra CCLXXXVIII. Cotyle capit oxybapha IIII. cyathos VI. mystra XXIIII. Oxybaphon ca pit sesquicyathum, mystra VI. Cyathus capit mystra quatuor. Restat ut declarem quot unciarum men suralium fuerit cotyle, quo cognito, perfacile erit cu iusque mensuræ capacitatem constituere: ad ipsam enim omnes reliquæ non secus ac in Romanis ad sextarium referuntur. Dixi uerò trium esse quartarum sextarij, quod ipsum asserit Cleopatra sic scribens, ἐν δὲ τοῖς γεωργικοῖς εὗρον τὴν κοτύλην τριῶν εἶναι τε τάρτων ξέστου. Id est, In Georgicis autem inueni Co tylen trium esse quartarum sextarij. Quod uerũ esse è mensurarum Georgicarum declaratione à nobis præ missa, & eiusdem Cleopatræ uerbis satis intelligi po tuit. Cũ itaq; sextarius capiat librã et semissem, quem admodum

admodũ in medicis mensuris probaui, tres quartæ eius sunt libra & sescũcia, quarum Cotyle Georgica est ea pax. Ad tertiam partem uenio, in qua consueui difficilia queq; pro ingenij mei uiribus explanare. Quàmuis uerò hoc in loco non multa Cleopatræ authoritati aduersa sint, aut esse possint, tamẽ nõnulla declarationis gratia adijcere non arbitror inutile fore bonarum literarum studiosis. Has itaq; mẽsuras Georgicas nominaui, secutus eandem Cleopatram, quæ in Georgicis eas se inuenisse scribit. Videntur uerò & hæ fuisse Atticæ, cuius rei indicium uel maximũ puto, quod metreta, quæ omnium consensu Attica est mensura, atq; ob id etiã à Fannio Attica amphora appellatur, suæ sit hic capacitatis, id est, omnino eiusdem, cuius esse iam antè in medicis ostendi. Alterum argumentum est, quòd Medimnum istud Georgicum mox declarandum sex capiat modios Romanos: id uerò de Attico medimno dictum itẽ in sequentibus probabo. Tertium quòd hæ mensuræ Georgicæ inueniantur sesquialteræ proportionem habere ad medicas. Cum itaq; Solon, ut Plutarchus in eius uita refert, auxerit mẽsuras & nomismata, per hoc uerò & pondera, uideri potest mensuras tertia parte capaciores constituisse. Vt quas medicas diximus, ueteres fuerint Atticæ, Georgicæ Solonis instituto successerint. Vtq; ueteres mensuræ medicis iam inde ab antiquo manserint in usu, quod ipsis non sine difficultate mutentur in compositionibus mensuræ, & quod ad eorum artem mutatio mensurarum reipublicæ commodi causa facta

solui dubõnes.

nihil pertinebat, ut cõtra illa nihil acciperet detrimẽti, manentibus mẽsuris medicinæ consuetis. Georgicæ autẽ reliquis in usu esse cœperunt. Verba Plutarchi sunt, κὴ ἅμα τούτῳ γενομένῃ τῶν τε μέτρων ἐπαύξησιν, καὶ τοῦ νομίσματος τιμήν· ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὔσαν. Id est, Et simul mensuras auctas, & monetam maioris precij factam: centum enim drachmarum minam constituit, quæ antè erat trium & septuaginta. Idem intelligitur ex his uerbis Andocidis, quæ sunt in oratione περὶ μυστηρίων inscripta, ἔδοξε τῷ δήμῳ, τισάμενος εἶπε, πολιτεύεσθαι ἀδηκτίους καὶ τὰ πάτρια. νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς δράκοντος θεσμοῖς, ὁπόταν ἐχρώμεθα τῷ δήμῳ ἔμπροσθεν χρόνῳ. i. Visum est populo, dixit Tisamenus, ut Athenienses regerentur patrio more. Legibus autem uterẽtur Solonis & mensuris ac ponderibus. Vterentur uerò & Draconis institutis, quibus antea ctis temporibus usi sumus. Sed Solonem Plutarcho & Andocide cõfisus aio mensuras auxisse. In has uerò Georgicas mutasse ueri simile mihi uidetur, quod argumentis dictis Atticæ comprobentur: non tamen id sine scriptoris alicuius testimonio asseuerandum puto. Quòd uerò proportionem sesquialteram habeant Georgicæ ad medicas exponam, Cotyle Georgica capit uncias tredecim cum dimidia, Attica nouem. Nemo autem nisi prorsus rudis Arithmeticæ non uidet sesquialteram proportionem esse tredecim

mens. georgicæ sesquialteræ.

tredecim & dimidij ad nouem. Sic Chus Georgicus capit duodecim cotylas Georgicas, quæ efficiunt nouem sextarios. Chus uerò medicus duodecim cotylas nouem unciarum, quæ sex constituunt sextarios. Nouem autem ad sex proportionem habent sesquialteram. Oxybaphum item Georgicum capit uncias tres & drachmas tres. Medicum uncias duas & drachmas duas. Iterum proportio est sesquialtera. Cyathus quoque Georgicus capit uncias duas & drachmas duas. Medicus sescunciã. Eadem est proportio. Postremo mystrum Georgicum comprehendit drachmas quatuor cum dimidia. Medicum drachmas tres. Manet & hic proportio sesquialtera. Vt uerò Georgicæ mensuræ ad medicas habent proportionem sesquialteram, ita mina Attica Solonis ad ueterem sesquitertiam. Vnde non uidetur si sic auxit mensuras eandem proportionem seruasse. Id autem mirum est, inter Romanam amphoram & Metreten Atticum etiam proportionem esse sesquialteram: nã Metretes sextarios duos & septuaginta, Amphora octo & quadraginta continet. In hoc uero solum differunt, quòd sextarius Romanus Attico sit capacior. His itaque consideratis, aliquis non immerito dubitare posset, an nõ ueteribus alius quàm Georgicus ille fuerit amphoreus, à quo Romani suã amphorã acceperint, et ad cuius proportionẽ Metretes auctus fuerit. Quo incremẽto facto manserit amphoreus dimidiũ metretæ, ut apud Romanos urna amphoræ. Sed in rebus dubijs sine authoritate nihil est affirmãdũ. Cæterũ Metretes hic capit choas octo

sext' romanus,

amphoreus dimidiũ metretes, ut urna amphoræ.

cto, quorũ quilibet est duodecim cotylarũ Georgicarũ, siue nouem sextariorum: octo itaque Choës efficiunt duos & septuaginta sextarios. In medicis autem mensuris Metretes duodecim Choas continet, quorum singuli sunt sex tantum sextariorum, ex eo iterum inita ratione duo & septuaginta sextarij proueniunt: quocirca eiusdem planè capacitatis esse medicus Metretes & Georgicus intelliguntur. Iam tempus est ut ad aridorũ mensuras Georgicas transeamus, Ο μέδιμνος ἔχει ἡμιμεδίμνους μὲν. β'. τριτέας δὲ. γ̄. ἑκτέας δὲ ἕξ. ἡμίεκτα δὲ. ιβ'. ἡμιδωδέκατα δὲ. κδ'. χοίνικας δὲ μη̄. ἡ δὲ χοῖνιξ ἔχει κοτύλας. γ̄. ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβαφα. δ'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κύαθον ας'. ὁ δὲ κύαθος μῦστρα. δ'. Id est, Medimnus capit semimedimnos duos. Tertiarios tres. Sextarios sex. Semisextarios duodecim. Semiduodecimas quatuor & uiginti. Chœnicas octo & quadraginta. Chœnix uerò capit cotylas tres. Cotyle oxybapha quatuor. Oxybaphum sesquicyathum. Cyathus mystra quatuor. Sed quia Cotyle capit uncias mensurales tredecim cum dimidia. Medimnus centum sexaginta duas libras. Semimedimnus unam & octoginta. Tertiarius medimni quatuor & quinquaginta. Sextarius medimni septem & uiginti. Semisextarius medimni tredecim cum dimidia. Semiduodecima pars medimni sex & uncias nouem. Chœnix libras tres, uncias quatuor cum dimidia. Cotyle libram unam & sescunciam. Oxybaphum tres uncias & drachmas tres. Cyathus duas uncias & drachmas duas. Mystrũ

drachmas

drachmas quatuor cum dimidia. Sic sentio de Georgicis aridorũ mensuris. Reuertar itaque ad Medimnum, quod aridorum mensura est maxima, ut Metretes liquorum. Legitur autem medimnus & medimnum, atq; sic in neutro Cicero potius utitur. Eius dimidiũ est ἡμιμέδιμνον. Tertia pars τριτεύς, quod est, Tertiarius. Sexta ἕκτευς, quem Sextarium medimni interpretamur, ut à Congij sextario, quem sine adiectione sic appellamus, discerni possit. Græci tamen facile distinguunt, ut qui duo diuersa uocabula habeant, alterum plane Græcum ἕκτευς: alterum è Romano corruptum ξέστης. Cuius sextarij medimni dimidium est, quod & uocis compositio indicat, ἡμίεκτον, siue ut Aristophanes ἡμιεκτέον, id est, dimidius sextarius medimni. Guarinus qui in uita Syllæ apud Plutarchum non adiecit, medimni, à Latinè tantum doctis intelligi non potest: est uerò duodecima pars medimni. Hinc dimidium eius ἡμιδωδέκατον adpellatur, id est, Semiduodecima, qđ quarta & uigesima pars sit medimni, Semiduodecima denique capit duas Chœnicas: nam medimnum octo et quadraginta. Sed hæc omnia ferè interpres Aristophanis his uerbis declarat in commentarijs in Nebulas, ὁ ἡμιμέδιμνος χοίνικας ἔχει. μη. τούτων τὸ ἕκτον ὀκτώ, τὸ ἥμισυ τῶν ἕκτων τέσσαρα, ὃ καλεῖται τετράμετρον. ὁ οὖν ἡμίεκτος τέσσαρας ἔχει χοίνικας. Id est, Medimnus chœnicas capit octo & quadraginta, horum sexta pars octo, dimidia sextæ, id est, octo, quatuor, quod tetrametrum 65.72.

trum

trum adpellatur. Igitur semisexta quatuor habet Chœnicas. Et paulo pòst iterum de Medimno scribit, τούτου ὀῶν δ' ἕκτον ἐστὶν ὀκτὼ χοίνικες, δ' δὲ ἡμίεκτον τουτέστι τὸ δωδέκατον τῶν ὀκτὼ πρὸς τοῖς τεσσαράκοντα, χοίνικες τέσσαρες. Id est, Huius igitur sexta pars sunt octo Chœnices. Semisexta uerò, id est, duodecima octo & quadraginta Chœnicum, quatuor existunt Chœnices. Hæc Aristophanis interpres, cum quo prorsus concordat Suidas, sicut in plærisque alijs, ita ut alter ab altero, aut certe uterq; ab uno aliquo authore transscripsisse uideatur. Sunt uerò eius uerba, ἡμιεκτέον μέτρον. τοῦτο δ' ἐστὶ δ'. χοινίκων. ὁ γὰρ μέδιμνος. μη̄. χοινίκων ἐστί. τούτων ὀῶν τὸ ἕκτον ἐισὶν. κ̄. χοίνικες. τὸ δὲ ἡμίεκτον τουτέστι τὸ δωδέκατον τ^ῶν. μη̄. χοινίκων, τέσσαρα. τοῦ μεδίμνου ἔχοντος χοίνικας. μη̄. τὸ ἡμιμέδιμνον τὰς. κδ'. εἶχεν. ἡμίεκτον δὲ τὸ χωροῶν. δ'. χοίνικας. τὸ γὰρ ἕκτον χοίνικες ὀκτώ. Id est, Semisexta pars mensura, hæc uerò est quatuor chœnicum. Medimnus enim octo & quadraginta Chœnicum est. Horum igitur sexta pars sunt octo chœnices: semisexta uerò, id est, duodecima octo & quadraginta Chœnicum, quatuor sunt, medimno capiente octo et quadraginta chœnicas, dimidius medimnus scilicet quatuor & uiginti cepit. Semisexta autem quatuor chœnicum capax est. Sextarius enim medimni chœnicas capit octo. Sic etiam interpres Nicandri, ὁ μέδιμνος ἔχει χοίνικας. μη̄. τὸ ἡμιμέδιμνον ἔχει χοίνικας κδ'. Id est,

ch. 76.

Nicandri interpres.

est, Medimnus continet Chœnicas octo et quadraginta. Dimidius medimnus quatuor & uiginti. Quàmuis ibidem corruptè, ut plerasq; alia, legatur λίτρας, cũ χοίνικας debeat legi. Pollux præterea libro quarto capite tertio et uigesimo, ὁ δὲ μέδιμνος χοίνικες ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα, ὁ δὲ ἡμιμέδιμνος τέσσαρες καὶ εἴκοσι, ὁ δὲ τριτεὺς ἑκκαίδεκα, ὁ δὲ ἕκτευς ὀκτώ, τὸ δὲ ἡμίεκτον τέσσαρες. Id est, Medimnus est octo & quadraginta chœnicum. Dimidius medimnus quatuor & uiginti. Tertiarius medimni sedecim. Sextarius eiusdem, octo. Dimidius sextarius medimni, quatuor. Demum Harpocration, qui λεξικὸν decem rhetorum scripsit, inquit, τὸ μέδιμνόν ἐχοντος χοίνικας τεσσαράκοντα ὀκτώ, τὸ χωροῦν εἰκοσιτέσσαρας χοίνικας ἡμιμέδιμνον ὄξιν, ἡμίεκτον δὲ τὸ χωροῦν τέσσαρας χοίνικας, τοῦ ἕκτου, ὅσπερ ὄξι χοίνικες ὀκτώ, τὸ ἥμισυ. Hoc est, Cum medimnus capiat octo et quadraginta chœnicas, dimidius medimnus quatuor & uiginti chœnicum capax est. Dimidius uerò sextarius medimni capit quatuor chœnicas, utpote qui dimidium sit sextæ partis, qui sunt chœnices octo. Fortasse nimius alicui uisus sum tot scriptores de una eadẽq; re testes citando. Is uerò sciat ideo à me factum, ut hi si non autoritate & præstantia, uincerent saltem concordia & turba. Ex his itaque omnibus clarum esse arbitror, quod probare uolui, nempe medimnum primo in duos semimedimnos diuidi, quem uerò Tertiarium medimni nuncupamus, ipsius tertium esse partem, ut Sextarium

Locus Hesandri,

Lexicon Harpocrationis,

xtarium, sextam. Dimidium sextarium, siue semisextam, duodecimam. Dimidiũ duodecimæ, quartã et uigesimã. Deinde quia medimnum capit chœnicas octo & quadraginta, dimidium medimnum capere quatuor & uiginti. Tertiariũ medimni, sedecim. Sextariũ eiusdẽ, octo. Semisextam, quatuor: unde & Tetrametrum dicitur, quod Aristophanis ioci satis indicant in Nebulis,

πορίδου νῶν ἐμοί,
εἰ μὴ τετράμετρόν ἐστιν ἡμιεκτέον. Id est,
Quin iam licet certare posito pignore,
An Hemiection tetrametrum non siet.

Nam Chœnica metri nomine significabant. Ea uerò tres capit cotylas, quod ante quoque in medicis probaui, & non minus Iulius Pollux confirmat sic scribens, κοτύλη δὲ τρίτον τοῦ χοίνικος. Hoc est, Cotyle tertia Chœnicis pars est. Ab hac fit ἡμιχοίνικον, id est, dimidia Chœnix, quo utitur Dioscorides. διχοίνικον, quo Aristophanes. τριχοίνικον & πενταχοίνικον, ut habet Pollux, id est, mensura duorum, trium, quinquéue chœnicum. ἄρτος etiam τριχοίνικος, id est, panis trium chœnicum apud Xenophontem libro septimo ἀναβάσεως κύρου. Est autem solũ mensura aridorũ, utitur uerò ea crebro Aristophanes in Vespis,

ἔλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν. Id est,
Capiebas chœnice ordei,
medimna scilicet: & in Pace,
δοίην ἂν αὐτῶν ἰσχάδων τρεῖς χοίνικας. Id est,
Pro ipsis dedero caricarum tres Chœnicas.

In

In Concionatricibus,

ἡμῶν ἀποτίσῃ κἀγεβίνθων χοίνικα. Id est, Multam daturam nobis ciceris chœnicen.

Hæc de Chœnice sufficiunt. Cotylé quatuor capere oxybapha, ipsum uerò sesquicyathũ, Cyathũ quatuor mystra, iam antè satis declaratum est in humidorum mensuris: nunc dicendum quoties maior unamquanq; se minorem capiat, Medimnum capit semimedimna II. tertiarios III. sextarios VI. dimidios sextarios XII. semiduodecimas XXIIII. chœnicas XLVIII. cotylas CXLIIII. oxybap. DLXXVI. cyathos DCCCLX, IIII. mystra IIICCCCLVI. Dimidium medimnum, capit tertiarium cum dimidio, sextarios III. dimidios, sextarios VI. semiduodecimas XII. chœnicas XXII, II. cotylas LXXII. oxybapha CCLXXXVIII. cyathos CCCCXXXII. mystra MDCCXXVIII. Tertiarius medimni capit sextarios II. dimidios sextarios, IIII semiduodecimas VIII. chœnicas XVI. cotylas, XLVIII. oxybapha CXCII. cyathos CCLXXXV, III. mystra MCLII. Sextarius medimni capit dimidios sextarios II. semiduodecimas IIII. chœnicas, VIII. cotylas XXIIII. oxybapha XCVI. cyathos, CXLIIII. mystra DLXXVI. Dimidius sextarius medimni capit semiduodecimas II. chœnicas IIII., cotylas XII. oxybapha XLVIII. cyathos LXXII., mystra CCLXXXVIII. Semiduodecima medimni pars capit chœnicas II. cotylas VI. oxybapha XXIIII. cyathos XXXV I. mystra CXLIIII.

Chœnix

Chœnix capit cotylas III. oxybapha XII. cyathos XVIII. mystra LXXII. Cotyle capit oxybapha IIII. cyathos VI. mystra XXIIII. Oxybaphon capit sesquicyathum, mystra VI. Cyathus capit mystra quatuor. Restat iam tertia consuetæ tractationis pars, ut igitur & hanc absoluamus reuertamur ad medimnũ. Hoc proportionem sesquialteram habet ad medimnũ iam antè in mediis mensuris declaratum, quã proportionem & reliquæ mensuræ aridorum inter se collatæ seruant. Verum eo pluribus testibus cõprobaui medimnum octo & quadraginta chœnicas capere: deinde Chœnica tres continere cotylas, quo magis appareat explicationem Medimni Cleopatræ nonnihil deprauatã, ubi legitur, τὸ δὲ μέδιμνον ξεσ͂ ρβ'. κοτυλ͂ ρλϛ̄. Rursum intellige in Georgicis inueni, Medimnum uerò sextariorum centum duorum, cotylarum centum triginta sex. Primũ enim si hoc concessero chœnicem capere tres cotylas, subducemus rationem, erit medimnũ non nisi chœnicum quinque & quadraginta & unius tertiæ, quod omnium consensu, qui medimnum in chœnicas distribuerunt, falsum comprobatur. Deinde si alterum dederimus illud, medimnum capere chœnicas octo & quadraginta, & tum ineamus rationem, non erit chœnix trium, sed duarum cotylarum, & quinq; sextarum cotyles, quod nihilo minus alienum à ueritate. Arbitror ergo locum corruptum isto modo, Librarius legens ξεσῶν. ρκ̄. similitudine soni quæ est inter. β'. & κ̄. deceptus. β'. pro κ̄. scripsit, uel similitudine figuræ: solent

Librarij error.

solent enim non admodum dissimiliter pingere utramq; literam, maxime celeriter scribentes, ut in μάρμαρος: *tum alius obseruans in Georgicis tres sextarios efficere quatuor cotylas, & secundam explicationis partem corrigere uolens, pro* κοτυλῶν. ρμδ'. *scripsit, quo res concordaret.* ρλϛ. *quàmuis & hic error ob similes quosdam ductus literarũ contingere potuit. Eiusmodi uerò permultos errores ob similitudinem soni uel figuræ literarum, sæpenumero accidisse in castigationibus, quas in Galenum & Hippocratem scribam, testimonio ueterũ codicum demõstrabo. Sic igitur legendũ censeo,* τὸν δὲ μέδιμνον ξεϛῶν. ρκ. κοτυλῶν. ρμδ'. *Id est, Medimnum uerò sextariorũ centũ & octo, cotylarũ centũ quadraginta quatuor. Sed alia difficultas se nobis offert in Herodoto, quam Budæus uir diligẽs ante me obseruauit, ne quẽquam sciens sua debita laude priuẽ. Ait enim in Polymnia numerũ exercitus Xerxis colligens,* οὕτω πεντηκοσίας τε μυριάδας καὶ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ, καὶ χιλιάδας τρεῖς, καὶ ἑκατοντάδας δύο, καὶ δεκάδας δύο ἀνδρῶν ἤγαγε ξέρξης ὁ δαρείου μέχρι σηπιάδος καὶ θερμοπυλέων. *Id est, Ita quingentas & uiginti octo Myriadas, & tria milia ducentos & uiginti uiros duxit Xerxes filius Darij ad Sepiadẽ usq; & Thermopylas. Constat autem ex præcedentibus hunc numerũ deprauatũ non esse. Non multo post sic inquit,* εὑρίσκω γὰρ συμβαλλεόμενος, εἰ χοίνικα πυρῶν ἕκαστος καὶ ἡμέρας ἐλάμβανε, τὸ μηδὲν πλέον, ἕνδεκα μυ-

pellicit castigationes in hippoc. et Gal.

χιάδας μεδίμνων τελεομένας ἐπ' ἡμέρην ἑκάστην, καὶ πρὸς, τρισκοσίους τε ἄλλους μεδίμνους καὶ τεσσαράκοντα. Hoc est, Inuenio enim subducta ratione, si singuli quotidie singulas chœnicas tritici acceperint, ac nihilo plus, undecim myriadas medimnûm singulis diebus absumptas, præterea trecenta & quadraginta. Si itaque superiorem numerum colligendo pro medimno chœnicas octo & quadraginta acceperis, proueniet quidem medimnûm undecim myriades, sed præterea non nisi septem & sexaginta medimna & quatuor chœnices. Si uerò ineas rationem, Medimnum nõ exacte capere octo et quadraginta chœnicas, re accurate examinata inuenies hinc Medimnum capere septem & quadraginta chœnicas, et septẽ octauas unius chœnicis, atq; uigesimã octauæ ac paulo plus, quod uix ut quilibet intelligat definiri potest, & minutius est quàm ut definiri debeat, nondum igitur deest integra una octaua quo nunus medimnum capiat octo & quadraginta chœnicas. Quod uerò numerus exacte non respondeat, aut librariorũ uitio factum, quod tamen hic quia numerus non notis literarum, sed integra appellatione scriptus est, non contigisse uidetur: aut Herodoti ipsius quadam incuria chœnicum calculis non recte subductis, quod ueri similius est. Qua de re nec locus hic, sententiam aliorum qui definierunt quot chœnicas capiat medimnũ, infirmare quicquam potest. Nunc erit explicandum quot modios Romanos medimnum comprehendat, tum etiam quòd Atticum & Siculum eiusdem

Herodoti locus.

dem fuerint capacitatis. Est autē Modius omnino uox latina, qua si quando alij utuntur, & nomen & mensuram à Romanis mutuo sumunt: ut contra Medimnum Græca, quā nemo usurpat nisi de rebus Græcis loquens. Medimnum itaque capere modios sex à multis traditur. Atque ut à Suida incipiam, is scribit, μέδιμνον ὂυρ μοδίων ς'. Id est, Medimnū igitur modiorū sex. Hæc nāq; pprie ad hoc pertinent medimnū. Eiusdem uerò sententiæ cuius Suidas, est ille qui sic ait in libello de mensuris & pōderibus, ὁ ἀττικὸς μέδιμνος ἔχει ἡμίεκτα. ιβ'. τὸ δὲ ἡμίεκτον ἔχει χοᾶ νικας. δ'. ὥσε τὸν μέδιμνον ἔχειν χοίνικας. μη. ξέσας. ης'. Id est, Atticum medimnū habet semisextas duodecim. Semisexta uerò capit chœnicas quatuor: unde fit ut Medimnū capiat chœnicas octo et quadraginta, sextarios sex & nonaginta. Paulo ante ait idē, ὁ δὲ μόδιος ὁ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας. κ. ὁ δὲ χοῖνιξ ξέσας ū. Id est, Modius uerò Italicus capit chœnicas octo. Chœnix autem sextarios duos. Hæc ille. Quis uerò non intelligit si Medimnum Atticum capit octo & quadraginta chœnicas, Romanus uerò modius octo, medimnum capere sex modios? Idem dicit Fannius his uersibus de amphora loquens,

Huius dimidium fert urna, ut & ipsa medimni
Amphora, terq; capit modium: sextarius istum
Sexdecies haurit, quot soluitur in digitos pes.

Hæc igitur de Attico medimno scripta sunt, ut & Cornelij Nepotis, qui sic scribit in uita Pomponij

Att. c6. 265.

Attici, Auxit hoc officium alia quoque liberalitate: nam uniuersos frumento donauit, ita ut singulis sex modij tritici darẽtur, qui modus mensuræ Medimnus Athenis appellatur. Sex legẽdum arbitror & sentit mecum Alciatus. Scriptũ enim primo sic puto VII adiecto scilicet distinctionis pũcto pleniore: librarium uerò puncto annumerato legisse septem, atque sic hanc mendam, ut facile fieri potuit, accidisse. Eiusdẽ planè capacitatis fuit Siculum medimnum, quod qui Siciliam habitabant non minima ex parte Græci erant. Sed Siculum quoque cõprehendere sex modios ex Ausonio intelligimus qui in Grippo de ternario numero ait,

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat usus agendi.

Quod è Ciceronis uerbis quoque obseruatur, qui sic scribit libro quinto in Verrem, Agri Leontini decumæ anno tertio uenerunt tritici medimna XXXVI. hoc est, tritici modij CCXVI. Ineas rationem & inuenies medimnum sex modios capere. Idem paulò pòst ait, Professio est agri Leontini ad iugera XXX. hæc sunt ad tritici medimna XC. id est, tritici modios DXL. millia. Si enim nonaginta millia medimnũm resolueris in modios, quemque uerò in sex, resultant modij DXL. Ex his igitur satis perspicuum est, Medimnum sex capere modios Romanos, eiusdem etiã capacitatis esse Atticum & Siculum, Iam declarandum est qua ratione Medimnũ capiat sex modios. Modiũ cõtinere sedecim sextarios in Romanis mẽsuris libro primo declarauí:

declarauí: in his uerò Georgicis Medimnum octo & quadraginta esse chœnicum, quæ cotylas efficiunt centum quadraginta quatuor: quia uerò quatuor eiusmodi cotylæ efficiunt tres sextarios, erunt sextarij unius medimni centum & octo, hos si diuiseris in sex partes, quæq; sexta erit octodecim sextariorum. Atticus autẽ sextarius, ut probaui, minor est Romano duabus uncijs mensuralibus. Si igitur duos sextarios Atticos resolueris, prouenient unciæ sex & triginta, quarum duæ & triginta pro complendis sextarijs Romanis adijciendæ sunt, supersunt uerò quatuor. Medimnũ igitur capiet modios sex, sed quia supersunt sexies quatuor unciæ, continebit plus quàm sex modios sextarium unũ et uncias quatuor, quam rem tanquam paruã in tanta mensura, non uidentur curasse qui primo Medimnũ sex esse modiorũ literis cõmendarunt. Quòd si quis ob id quod supererat sextarius unus & unciæ quatuor, contendere uelit locum Cornelij Nepotis non esse deprauatum, sed ab ipso scriptum medimnum septem modiorũ, uereor ne nimis leue sit. Ad Alcinatum uenio, qui cũ Medimnum Atticum capere octo & quadraginta cotylas probauerit, ac Cotylen constituerit nouem unciarũ, nunquam potest explicare quo modo capiat modios sex, ut in Cornelio Nepote recte credit debere legi. Non capiet enim nisi quatuor cum dimidio, si duas cotylas easdem cum Romano sextario esse acceperis, quod tamen ipsum non uelle ex scriptis eius intelligitur. Igitur si rem accurate examinaueris nõ capiet ultra qua-

tuor modios Romanos & ſeſquiſextarium. In idem impegit is cuius uerba recitãtur à Suida. Sequitur enim ex ipſis, modium eſſe ſextariorum duodecim, quod nullus unquam ſcripſit. Quare niſi uiderem Chœnica & ſextarium & cotylam ut mẽſuras aridorũ medicis iuxta eam proportionem in uſu fuiſſe, facile mihi quiſpiã perſuaderet è falſa cotyles acceptione, nempe Medicæ pro Georgica, eiuſmodi Medimnum eſſe conſtitutum. Verum de his quiſque quod uelit, ſtatuat. Certe medimnum capere modios ſex non de eo quod è medica cotyle, ſed quod è Georgica conſtituitur, intelligendum eſſe., nemo non ex iis, quæ iam dixi, intelligit. Hæc igitur aduertens Budæus ut eſt uir prudens & diligens, Chœnica duorum ſextariorum ſtatuit, ſed cotylam Georgicam ignorans, putat non recte ſcriptum à Polluce, Chœnica eſſe trium cotylarum. Idem Budæus & in Attica cotyle fallitur, eã eiuſdẽ eſſe capacitatis, cuius eſt Hemina Romana arbitratus. Neuter itaque ſatis inuenit, ſit uenia uerbo, qui ex iſtis ſe extricaret. Porrò modium Romanam uocem eſſe dixi: hanc igitur aut reſpuens Lucianus medimno utitur, ubi Romani ſcriptores habent modium: aut eandem menſuram cenſens, ut Alciatus ſenſiſſe putat, cum certe liceret ipſi loco eius ἑκτέα dicere, qui parum admodum à modio differt. In quo ſimiliter Suidam, aut illũ unde ſua ſumpſit, peccaſſe uidemus cum ſcribit de Annibale, ὅτι τὸ μέγεθος φλ τοῦ ἀννίβα νίκης δ. πρὸς ῥωμαίους ἢ φλ τῶν ἐναντίων συμφορᾶς ἐπ' ὄφιν ἀγαγεῖν

τοῖς

τοῖς καρχηδονίοις μηχανώμενος, τρεῖς μεδίμνους ἀττικοὺς πλήρεις χρυσῶν δακτυλίων εἰς τὴν λιβύην ἀπέπεμψεν, οὓς ἄρα τοὺς ἱππικοὺς καὶ βουλευτικοὺς ἄνδρας σκυλεύσας ἀνῄρητο. Id est, Quoniam studuit Annibal uictoriæ suæ simul & hostium calamitatis magnitudinem Carthaginensibus ob oculos ponere, tria medimna Attica plena aureis annulis misit in Africam, quos scilicet dum spolia colligeret, equestris & senatorij ordinis uiris detraxerat In eodem errore uersatur Angelus Politianus scribēs, Duplex amphora modius est, aut si mauis Græcé medimnus: tum Guarinus Veronensis Strabonis interpres: inquit enim Strabo libro quinto, ἐπὶ δὲ ῥώμης κασίλινον ἵδρυται ἐπὶ τῷ οὐλτουρνῷ ποταμῷ ἐν ᾗ πολιορκούμενοι πραινεστίνων ἄνδρες. μ. καὶ φ. πρὸς ἀκμάζοντα ἀννίβαν ἐπὶ τοσοῦτον ἀντέσχον, ὥσθ' ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραθέντες μέδιμνον, ὃ μὴ πωλήσας ἀπέθανεν, ἐσώθη δὲ ὁ πριάμενος. Hoc sic reddit, Romam uersus autem Casilinum est ad flumen Vulturnū, in quo Prænestini milites XL. & D. aduersus Annibalem uarijs instructum copijs, tamdiu obsidionē pertulere, ut inualescente fame, modius drachmis ducentis uenundaretur, & uenditor quidē mortē oppetierit, emptor autē incolumis euaserit. Vides ut μέδιμνον uerterit modiū: sic enim legit, Ego uerò legendum censeo μῦν, id est, murem, quod quispiam historiæ Romanæ ignarus, putans esse notam, μέδιμνον, scripsit, nō cō-

siderans etiam tum debuisse adesse uel πυρῶν uel κρι-
θῶν, uel tale quidpiam: ne quis censeat id ipsius Stra-
bonis ignorantia factum. Quod uerò debeat esse μῦν,
satis ostendunt uerba Plinij libro octauo capite LVII.
Venisse murem CC. nummis Casilinum obsidente Han-
nibale, eumq; qui uendiderat fame interijsse, emptorem
uixisse annales tradunt, & Valerij Maximi qui libro
septimo capite sexto scribit, In illa obsidione & fide
cum trecenti Prænestini manerent, euenit ut ex his quí-
dam murem captũ ducentis potius denarijs uendere, q̃
ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo
prouidentia deorũ effectũ, ut & uenditori & empto-
ri quem uterque merebatur, exitum attribuerit. Auaro
enim fame consumpto manubijs sordium suarũ frui nõ
licuit. Aequi animi uir, ad salutarem impensam facien-
dam, care quidem, uerum necessarie comparato cibo
uixit. Idem etiã indicat Liuius libro XXIII. ab urbe
condita, Postremò ad id uentũ inopiæ est, ut lora de-
tractasq; scutis pelles, ubi feruida mollissent aqua, man-
dere conarentur, nec muribus alióue animali abstine-
rent. Budæus quidem aduertit locum Strabonis ab alijs
dißidere, sed quo modo id contigerit nõ declarat. Re-
deo ad mesuras ne quis clamet οὐδὲν πρὸς μέτρον.
Choenica tres cotylas capere demonstrauí Georgicas,
quæ efficiunt uncias mensurales quadraginta & dimi
diam, duos ergo sextarios Romanos, sed remanet se-
muncia, quam non curantes quidam duorũ sextariorũ
esse dicunt, ut Græcus ille ignotus, cuius uerba paulò
antè

Strabonis locus a plin. illustratus.

Liu. locus.

antè retuli. In quam sententiam uenit etiam Budæus recte considerans, Medimnũ non posse sex modios capere, si Chœnica minorem duobus sextarijs Romanis accipiamus. Sed idem ignorans, ut dixi, cotylen Georgicam, non quiuit intelligere quo modo Chœnix esse poßit trium cotylarum, quod Pollux tradidit. Sententia itaque Pollucis ueluti reiecta, statuit eam duorum sextariorum capacem. Verum Chœnix cibus erat diurnus: unde Suidas scripsit, ἡ γὰρ χοῖνιξ ἡμερήσιος τροφή. Hoc est, Chœnix enim cibus diurnus. Idem sibi uult Hesychius cum ait, χοίνικες αἱ ἀπὸ μέρος τροφαί. Quin etiam Alexarchus, ut refert Athenæus libro tertio ex historijs Heraclidis, in ciuitate Vranopoli à se condita nouam sermonis proprietatem inducens, inter cætera Chœnicem ἡμεροτροφίδα, quod esset mensura cibi diurni uocabat. Idem etiam ex Herodoto intelligi potest, qui tritici chœnica absumendam quotidie singulis uiris, qui erant in exercitu Xerxis, partitur. Et è Pythagoræ symbolo, χοίνικι μὴ ἐπικάθισαι. Id est, Chœnici ne insideas. Quo monemur ne uictu unius diei quæsito, non curemus crastinum. Quod symbolum Erasmus doctißimè enarrauit in Adagijs, quamobrem mihi silendum puto. Nec ipsum neglectum est à Budæo. Hinc Homericus Telemachus ait in decimonono Odyßeas,

οὐ δ' ἄσργον ἀνέξομαι ὅσκεν ἐμῆσγε
χοίνικος ἅπτηται, ἐπηλόθεν εἰληλουθώς. Id est,
Haud operis uacuum nostram contingere quemquam

Chœnica

ATENEO VENETO VENEZIA

prouerb pythagoræ

Chœnica perpetiar, longis licet hospes ab oris
Venerit.

Vtitur uerò Homerus mensura pro demenso diurno quod Chœnice olim distribuebant. Ex his itaque intelligitur, Chœnicen esse Græcis mensuram cibi diurni, ut Romanis sextarium castrensem, qui duos urbicos capiebat, quemadmodum libro primo declaraui. Vt appareat ex Herodoto & Hieronymo eandem uictus rationem Græcis & Romanis militiæ fuisse. Sed & domi fuit, quod ex demenso percipitur, de quo sic interpres quidam Terentij scribit super hoc quod est in Phormione,

Quod ille unciatim uix de demenso suo
Suum defraudans genium comparsit miser,
Id illa uniuersum abripiet.

Ait itaque interpres, Serui quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id demensum dicebatur, & utrum à mense an à metiendo incertum. Hæc ille. Ad hanc consuetudinem alluſit Iuuenalis satyra decimatertia,

Seruorum uentres modio castigat iniquo.

Faciunt autem quatuor modij sextarios quatuor & sexaginta: si igitur mensem statuas esse triginta dierũ, cibus diurnus duo erunt sextarij, sed supererunt quatuor: quos partim in reliquos sex dies, quos habent duodecim anni menses, præterquam quòd quilibet ex ipsis habeat triginta dies, referes: partim in semunciam, quam quæque Chœnix plus habet duobus sextarijs Romanis consumes: si quid uerò præterea supersit, corollarij uice datum

datum censeri potest. Respondet autem demenso Graecè σιτομέτριον, quod in triginta dies datum fuisse ex hoc Polybij loco, qui est in quarto, opinor, intelligi posse, ὁ δὲ Φίλιππος διανοούμενος, ὅτι μέλλοι σιτομετρεῖν, ἐκήρυξεν, ὅσοι μὴ πλέον ἔχουσι τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον ἀπογράφεσθαι πρὸς αὐτόν. Id est, Philippus autem distribuens, quod uolebat demetiri, proclamare iussit, qui amplius non haberent triginta dierũ cibum sibi debere designari. Cæterum quod Terentij interpres scribit, demensum utrum à mense an à metiendo incertũ, miror cum Plautus in Menæchmis hoc ioco satis indicet à demetiendo esse dictum,

demensum.

Nunc argumentum uobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, uerum ipso horreo,

Sed de Chœnice atque adeo Georgicis mensuris satis multa. Iam ad Hippiatricas ueniam, quas Latini mensuras mulomedicinæ siue artis ueterinariæ dicerẽt. Vt enim illi eos ab equis, ita hi à mulis curandis nominarunt. Sed ijdem medici pecorum κτηνιατροὶ, inquit Varro, adpellantur. Sic uerò habent, ἡ κοτύλη ἔχει ὀξυβάφα. β̄. τὸ δὲ ὀξύβαφον κυάθους. γ̄. ὁ δὲ κύαθος μύστρα. δ'. τὸ δὲ μύστρον κοχλιάρια. β'. Quod est, Cotyle capit oxybapha duo. Oxybaphum cyathos tres. Cyathus mystra quatuor. Mystrum cochlearia duo. Sed quia Cotyle capit libram mensurale, oxybaphum capit selibram. Cyathus uncias duas. Mystrum semunciam. Cochlearium drachmas duas. Maiores autem mensuras non addidi, quod nec Græcus, unde

hæc

hæc sumpsi, addiderit: tum etiam quod quisq; facile possit Cotyle constituta ad ipsam tanquàm ad regulã quandam eas dirigere. Sed subnectam uerba Græci illius, ἡ κοτύλη ἔχει ὀυγγίας. ιβ'. ὀξύβαφα. β'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κυάθους. γ. κύαθος ἔχει μύστρα. δ'. κοχλιάριον δὲ ὅτι μύστρου τὸ ἥμισυ. τὸ δὲ ὀξύβαφον ποιεῖ ὀυγγίας. ς'. ὁ δὲ κύαθος ποιεῖ ὀυγγίας. ϛ̄. Id est, Cotyle habet uncias duodecim, oxybapha duo. Oxybaphum uerò cyathos tres. Cyathus habet mystra quatuor. Cochlearium autem mystri dimidium est. Oxybaphum quidem facit uncias sex. Cyathus uero uncias duas. E quibus uerbis intelligitur cuiusque mensuræ capacitas quo ad minores & uncias. Verum quia ἔχει ambiguum est, nam & χωρεῖ & ἕλκει significat, nos hic de mensurali uncia & libra intelligimus ob has causas, & quod nullus liquor ab ipso exprimatur, quod æquum fuisset eum facere, si de ponderalibus sentiret, & quod nullus ex loquendi quadam consuetudine intelligi facile possit. Videtur autem hinc orta hæc mensurarum constitutio, quod medici aliqui, ut supra in Atticis testimonio Galeni probaui, Cotylen pro libra Romana mensurali sint usi, quos, puto, uetenarij imitati tales mensuras sibi proprias fecere. Quòd si quis de ponderalibus uncijs acceperit, ostendat de quo liquore sit dictum, quod quum facere non possit, mensurales rationibus quibusdam permoti intelligemus. De hoc cyatho scribit Suidas, κύαθος, ἀνθλητήριον μέτρον ὑγροῦ, ὀυγγιῶν. ϛ̄. Id est, Cyathus hau

storia

ſtoria menſura liquidi, unciarum duarum. Et Heſychius, κύαθος δ' ἔχεται ὑγροῦ τινὸς ὀυγγίας δύο. Hoc eſt, Cyathus capit liquoris alicuius uncias duas. Si liquoris alicuius, neceſſe eſt ut de menſuralibus intelligamus, aut ſi nolumus, diuerſæ capacitatis conſtituamus cyathos, quod ualde abſurdum eſt: tot enim tum erunt diuerſi cyathi quot liquores diuerſi, atq; cyathus mellis quanto capacior tum erit cyatho olei? Abſurdum dixi: nam certæ & definitæ capacitatis ſextarius Romanis fuit unicus, qui ſecundum quod modo hac modo illa re fuit impletus, ita rerum pondus diuerſum, manente eadem mole, emerſit, atque ſic etiam iuxta rerum quas metimur diuerſitatem, diuerſitas ſextarij tradita eſt ab authoribus. Ita Fannius uini ſextarium, id eſt, tantum uini, quantum ſextarius capit pendere uncias uiginti ſcripſit, olei ſelibram, mellis libras duas cum dimidia. Sed de his ſatis. Sm autem Heſychius pondus certi liquoris ſignificare uellet, aut eum nominaret, aut ex loquendi quadam conſuetudine, quæ hic nulla probari poteſt, iam antè notus eſſet, minime uerò diceret alicuius liquoris. Huius pene capacitatis Cotylen nobis cõſtituit ſine teſtibus Africanus unus è iunioribus Græcorum medicis cum ſcribit, Quam enim comparationem rationémue libræ pondus ad minam habet, libræ menſura eandem ad Cotulã habet ſextarij, ſcilicet Xeſtæue dimidium. Sic M. Fabius Caluus nobis illa ſuo more uertit. Sed ipſe Africanus paulò antè declarauit, quam rationem habeat libra ponderalis ad minam his uerbis, Mna Attica ergo ſtateras

quinq;

quinque & uiginti habet: libra uerò Italica ſtateras quatuor & uiginti. Hæc uera eſſe quiſque è ſequentibus libris intelliget. Nam Mina Attica drachmarum eſt centum. Libra Romana ponderalis ſex & nonaginta. Vigeſima itaque quinta parte maior eſt mina Attica libra Romana, id eſt, ſtatere uno ſiue quatuor drachmis. Eadem igitur parte maior eſſe debet Cotyle libra menſurali. Quum autem duodecim habeat uncias, quas ſi in ſemuncias diuiſeris, habebis ſemuncias quatuor & uiginti, una ſemuncia maior erit Cotyle. Fiet itaq; quinque & uiginti ſemunciarum, id eſt, libræ & ſemunciæ, nõ libræ ſolum, ut Alciatus cum ſcripſiſſe ait. Sed tamen id, quod dixi, ab Africano ſorte inuentum, cui pulchrum uiſum eſt, libram menſuralem ſic conferre Cotylæ, ut ponderalis rectè minæ Atticæ conferri poteſt. Hoc ex Africano colligitur: quomodo uero illud ipſum quod Hermolaus uoluit, iterum non uideo. Certe Africanus Choa liquoribus repletum aſſerit idem pendere quod Fannius, nempe uini libras decem, olei nouem, mellis quindecim. Vnde ſequitur amphoram uini pendere libras octoginta, olei duas & ſeptuaginta, mellis centum uiginti. Hermolai uerba ſuperiori libro retuli. Sed relinquamus Africanum, qui ſibi ipſe non ſatis conſtat, quis enim non uidet, ſi Cotyle capax ſit libræ menſuralis & ſemunciæ, Choa cuiuſque liquoris nomināti non multo plus pendere quàm ipſe ſcripſit? Ad Iſidorum uenio, qui cum ſuperioribus ſentit, dicens cotylen pendere libram. Hoc tamen Africano indoctior quod

appendit

appendit ſcribit, diſcrimen quod eſt inter libram pondus & menſuram ignorans. Qui Budæum etiam uirum ſummè doctum in ſuum errorem traxit, ut libro primo diximus. Porro uſum Hippoiatricarum menſurarum pluribus probare nequeo, quòd apud Græcos huius artis ſcriptor nullus, quòd ſciam, extet præter Abſyrtum, quem mihi uidere non contigit, etſi ſciam principi Mantuano eſſe. Hæ autem menſuræ ab alijs diſtinctæ, toti huic tractationi non parum lucis adferent. Sequitur nunc liber Tertius in quo pondera rerum, quas metimur, declarare decreui.

Abſyrtus ueterinariæ autor.

GEORGII AGRICOLAE LIBER TERTIUS, de Pondere rerum quas metimur.

IAMETSI magnus labor fuit Romanas mensuras inquirere, maior etiam Græcas non inuenire modo, sed et disponere inuentas, & sic tradere ut ipsarum inter se diuersitas intelligeretur: is tamen hoc fuit facilior quod simplex. Soli enim tum innitebamur authoritati, quæ illi tractationi terminos præscripserat, quos transgredi minime liceret. Quem uerò laborem in hoc libro exhauriemus, is quia duplex difficilior futurus est. Etenim non agendum tantum erit quò sententia nostra confirmetur scriptorum testimonijs, sed experientia ipsa, si quid inciderit controuersum, magna ex parte discutiendum, in quo non exigua inest difficultas. Primo q; res quas metimur multæ admodum & uariæ sint. Deinde quod non arida modo plurimum à liquidis in pondere differant, uerum etiam quæ sub utroq; genere comprehenduntur, non minimum inter se. Nã ut experimento didicimus, à siccis pernultis grauitate lõge uinci liquores, ita idem illud docuit, eosdem

eosdem liquores pondere seminum quædam genera uincere. Quo etiam nobis constat, uinum oleo, & mel cõtrà uino multo esse grauius. Aquam autẽ proxime accedere ad pondus uini, sed pluuiam, quæ nihil adhuc de terra contraxit. Nam cæteræ quanto plus uel minus ea permixtæ fuerint, tanto grauiores inuenientur aut leuiores. Sed oleum quoque quod omnium minus uariat, si non diligenter fuerit ab amurca ac retrimento purgatum, ut de factitio nihil dicam, puro grauius est. Et uinum quod nigrum ob colorem rubeum obscurum uocant, ruffo aliquanto plus pendet, & mel despumatum eo quod è fauis destillarit. Quid? Nihil tam simile est quàm lac lacti, alterum tamen est altero grauius. Sic non minus in aridis ordeum grauius est auena, far ordeo, triticum farre. Denique & triticum tritico, & ordeum ordeo plus ponderat. Similiter de auena, farre, & alijs censendum. Cum itaque tanta sit rerum diuersitas in põdere, quis non uideat, quæso, quàm lubricum sit hic quidpiam definire? aut quis ualde miretur eos, qui de hac re scripserunt, inter se nonnihil dissidere? Potest tamen in nonnullis penè certi quiddam statui, quod à ueteribus Græcis tantum abest ut sit neglectum, ut id diligenter exquisitum maximo consensu in usum traxerint. Veluti olei pondus, per quod mensuras Atticas, quas & medicas diximus, declararunt. Ego & authoritate ueterũ, & experiẽtia fretus, pondera cuiusque mensuræ refertæ his liquoribus, qui potissimum in usu sunt medicinæ, diligenter

expendã, cũ quod medicis id ualde sit utile futurũ, tum maxime quòd Budæus & Alciatus & Portius sextariũ Romanũ exponere sunt conati, uncias ad pẽsum non ad mensurã referẽtes. Sed primo uideamus quãtũ quæque mẽsura oleo puro plena pẽdeat. Vt autẽ à Romanis incipiamus. Culeus capit, quẽadmodũ libro primo probaui mus, mille & sexcẽtas libras mẽsurales, quæ nõ mutãtur, pẽdet uerò olei libras mille trecẽtas triginta tres et uncias quatuor. Amphora capit libras octoginta, pẽdet sexaginta sex & uncias octo. Vrna capit libras quadraginta, pẽdet triginta tres & uncias quatuor. Cõgius capit libras decẽ, pẽdet octo & uncias quatuor. Sextarius capit librã et bessem, id est, uncias uiginti, pẽdet uncias sedecim drachmas quinq; scriptulũ unũ. Hemina capit uncias decẽ, pẽdet uncias octo, drachmas duas, & scriptula duo. Quartarius capit uncias quinque, pendet quatuor, & drachmam unam & scriptulum unum. Acetabulum capit uncias duas & semunciam, pẽdet duas uncias & scriptula duo. Cyathus capit sescunciam drachmam & scriptulum, pendet unciam unam, drachmas tres & siliquas duas. Ligula capit drachmas tres & scriptulũ unũ, pendet drachmas duas & scriptula duo & siliquas duas. Hæc mea sententia est de pondere olei, si ad Romanas mensuras exigatur, cuius fides rursum ab authoribus est petenda. Cotylen Atticam nouem uncias cornu libralis, id est, mensurales capere supra in Atticis ex Galeno probaui, ut Romanam heminam decem in Romanis. Cæterum eodem authore nouẽ

ciusmodi

eiusmodi unciæ olei pendent uncias septem & semunciam. Ait enim, ἕλκουσι δὲ αἱ θ̄. οὐγγίαι ἰταλικαὶ, αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασι ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικάς. Id est, Pendent enim unciæ nouem Italicæ, quæ sunt in cornibus intersectis uncias septem cum dimidia ponderales. Quod cum sit, decem unciæ mensurales, quas continet Hemina Romana, pendent octo uncias & drachmas duas & scriptula duo. Hoc olei pondus ex alio Galeni loco non minus intelligi potest, qui est libro sexto de compositione medicamentorum per genera, ἐγὼ γοῦν ἐν τῇ ῥώμῃ τὴν τοῦ ἐλαίου καλουμένην λίτραν, ἣν διὰ τῶν κατατετμημένων κεράτων μετροῦσιν, ἔστησάποτε βουλόμενος μαθεῖν, ὁπόσον ἔχει σταθμὸν τοῦ βάρους, εὗρον δὲ ταῖς σταθμικαῖς δέκα οὐγγίαις ἴσας τὰς μετρικὰς τοῦ ἐλαίου. ι̅β̅. Id est, Ego sanè olei libram Romæ nuncupatam, quã per intersecta cornua metiuntur, appendi aliquando cupiens scire, quantũ ponderis haberet, inueni uerò duodecim uncias mensurales, decẽ ponderalibus æquales. Vnde apparet librã & unciã mensuralem non è ponderalibus, ut una alteri respondeat, constitutas, quẽadmodũ hodie à pharmacopolis ignorantia quadã constituuntur. Sed de his aliàs: nunc ad id ueniã, quod superiori libro promisi me declaraturũ, nempe quid hi medici sibi uoluerint, qui Cotylen tradiderũt unciarũ esse sedecim, et duarũ tertiarum unciæ. Quàmuis autem Galenus, quod sciã, nusquàm illud declararit, uidẽtur tamen mihi, ut tũ dixi,

primo ſextarij uocem reſpuiſſe, ac ſuam potius quàm latinam uſurpaſſe. Deinde ut ipſis conſuetum erat Cotylen Atticam dicere drachmarum ſexaginta, hoc eſt, unciarum ſeptem cum dimidia, non exprimentes oleum quod alioqui ſatis intelligeretur è conſuetudine illa loquendi: ſic etiam Cotylen, qua loco Romani Sextarij uterentur, arbitror eos dixiſſe drachmarum eſſe centum triginta quatuor & ſcripturi unius, quæ efficiunt uncias ſedecim & duas tertias. Quod de oleo dictum puto: tametſi Galenus eos de uncijs menſuralibus locutos accepiſſe uidetur, quod ſine ulla ratione ab ipſis dictum apparet meo iudicio. Niſi itaque ſic ſentiamus, ſi oli illi nihil rationis habuerunt, cur tantam cotylen cõſtituerint, qui enim Cotylen aiunt nouem unciarum eſſe menſuralitũ, Atticam dicunt: qui decem, Romanã heminam: qui duodecim, libra Romanã. Qui uerò tradunt eam unciarũ eſſe ſeptem cum dimidia de pondere ſentientes, iterũ Atticam intelligunt: ſic arbitror qui ſedecim & duarũ tertiarum unciæ, Romanũ ſextariũ. Sed hic forte quiſpiam dubitabit, amphora olei fuerit menſura nec ne. Equidem fuiſſe in Varrone aduerto, qui ſic ait, Quidam ipſum triticum conſpergunt, cum addunt circiter in M. modiũ quadrantal amurcæ. Nam ſi amurcæ, quid ni et olei? Quod igitur menſuras magnas quaſi cuiuſq; liquoris fuerint, expoſui, non ſine exemplo feci, ſed ſecutus ſum in hoc Græcos, qui idem in Romanis menſuris explicandis fecere. Iam ad Atticas, quas modicas appellaui, trã ſeundũ. Metretes capit centum

Componit pondera

tum et octo libras, pendet oleo plenus nonaginta. Chus capit nouem, pēdet septē cum dimidia. Sextarius, siue ut ipsi ξέστης, capit sesquilibrā, pēdet libram & quadrantem, siue uncias quindecim. Cotyle capit uncias nouem, pendet septem & semunciam. Semicotylium, quod Romani quartarium appellarent, capit uncias quatuor & semunciam, pendet uncias tres, semunciā & drachmas duas. Oxybaphum capit uncias duas et drachmas duas, pendet sescunciam & drachmas tres. Cyathus capit sescunciam, pendet unciam & drachmas duas. Tantum pendent mensuræ Atticæ oleo refertæ, quod ut clarum fiat, non inutile erit iterum uerba Galeni integra asscribere quæ sunt περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη libro quinto, ὁ μὲν γὰρ ἥρας. ρπ. δραχμὰς ἔγραψεν εἰς σταθμὸν ἀνάγων, οὐκ εἰς μέτρον τὸ ἔλαιον, ὡς. ξ'. δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτύλης. καὶ γὰρ ἕλκει ἥγε ἀττικὴ. θ. οὐγγιῶν οὖσα τῶν ἰταλικῶν. ἕλκουσι γὰρ αἱ. θ. οὐγγίαι ἰταλικαὶ, αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασιν, ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικὰς, αἵτινες. ξ'. δραχμαὶ γίνονται, τῆς μιᾶς οὐγγίας. κ. δραχμὰς δεχομένης. Id est, Heras quidē centū octoginta drachmas scripsit ad pondus oleum reducens, non ad mensuram, tanquàm Cotyle pendeat drachmas sexaginta: pendet enim eas Attica, quæ nouem unciarum Italicarum existit. Etenim nouem unciæ Italicæ, in cornibus intersectis discretæ, pendent uncias ponderales septem cum dimidia, quæ sexaginta drachmæ fiunt, si uncia una

octo drachmas ceperit. Sic Galenus. E cuius uerbis clarum est tantum olei, quantum capit Cotyle Attica, pẽdere uncias septem & semunciam, atque ita Sextarium quindecim uncias. Iuxta hanc rationem scripsit Plinius libro primo & uigesimo capite ultimo de Atticis mensuris. Cyathus pendet per se drachmas decem. Cũ acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas quindecim. Hæc enim planè cum superiori computatione conueniunt. Medici autem in medicamentis, præsertim emplastris, oleo præ cæteris liquoribus utuntur, quam ob rem huius pondus etiam potissimũ eis curæ fuit, quod ipsum ex alijs multis Galeni locis obseruare licet. Hinc consuetudo illa explicandi mensuras per olei pondus nata, nemine non intelligente tunc, etsi non exprimeretur, de oleo dici. Concordat etiam cum his Fannius sic scribens,

At cotyle cyathos bis ternos una receptat,
Sæd de abaco nobis id pondus sæpe notatur,
Bis quinq; hunc faciũt drachmæ si appendere tentes,
Oxybaphus fiet si quinq; addantur ad illas.

Fannij hæc uocabula etiam omnia Attica sunt, nec possunt aliter intelligi quàm de pondere olei. Hac eadem ratione quæ scripsit Alciatus uera essent, si de oleo, quo Atticæ mensuræ plenæ fuerint, intelligerẽtur: sed ipse hoc noluit, uerum de tritico leuissimo intelligens et Romano sextario, putat in commune statuisse ueteres, sextarium Romanum esse unciarũ quindecim, de quibus infrà dicam. Porrò hoc modo loquendi mensurarũ pon-

dera

dera dubio procul exponit Cleopatra cum ait, κοχλιάριον ἔχει ∠. α̅. ὁ κυαθος ἔχει ∠. ι̅. ἢ γο. κ̅. καὶ τέταρτον, γράμματα. λ̅. ὀβολοὺς. ξ'. θέρμους. η̅. κεράτια. ρπ̅. χαλκοῦς. υπ̅. ἐστι δὲ ὁ κύαθος κοτύλης τὸ ἕκτον. ἡ κοτύλη μέτρῳ μὲν ἔχει κυάθους. ϛ̅. σαθμῷ δὲ ∠. ξ'. γο. ξς'. γράμματα. ρπ̅. ὀβολοὺς. τ̅ξ. θέρμους. φ̅μ. κεράτια απ̅. χαλκοῦς μωπ̅. τὸ πρύβλιον τὸ αὐτὸ μέτρον χωρεῖ τῇ κοτύλῃ. ἔχει γὰρ μέτρῳ μὲν κυάθους. ϛ̅. σαθμῷ δὲ ∠. ξ'. ὁ ξέστης μέτρῳ μὲν ἔχει κοτύλας. μ̅. σαθμῷ δὲ δραχμὰς. ρκ̅. καλεῖται δὲ παρὰ αἰγυπτίοις ὁ ξέστης ἴνιον. τὸ ὀξύβαφον ἔχει κοτύλης τέταρτον. κυαθον ας'. σαθμῷ δὲ ∠. ι̅ε̅. ἡ κόγχη ἡ μεγάλη τὸ αὐτὸ μέτρον σώζει τῷ ὀξυβάφῳ. ἔχει δὲ μέτρῳ μὲν κύαθον ας'. σαθμῷ δὲ ∠. ιε̅. ἡ δὲ ἐλάττων κόγχη ἔχει μέτρῳ μὲν ἡμικυαθον, σαθμῷ δὲ ∠. ε̅. μῦστρον τὸ μέγα ἔχει κοτύλης τὸ ἑκκαιδέκατον. ὃ γίνεται ∠. γς'. τέταρτον. τὸ δὲ μικρότερον κοτύλης τὸ κβ'. ὃ γίνεται ∠. μ̅. γράμματα. μ̅. κεράτιον. α̅. καὶ τὸ ἑνδέκατον. ὁ χοῦς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα. ξέστας δὲ. ϛ̅. χοίνικας δὲ δ'. σαθμῷ δὲ ἔχει ὁ χοῦς ∠. ψ̅κ̅. *Id est, Cochlearium pendet drachmam unam. Cyathus pendet drachmas* X. *siue unciam unam & quartam eius partem, scriptula* XXX. *obolos* LX. *lupinos* XC. *siliquas* CLXXX. *æreolos* CCCCLXXX. *Est uerò Cyathus cotyles pars sexta. Cotyle mensura quidem continet cyathos sex, pon-*

dere uerò drachmas LX. uncias septem cum dimidia, scriptula CLXXX. obolos CCC LX. lupinos DCCXL. siliquas MLXXX. æreolos MMD CCCLXXX. Tryblium eandem mensuram capit, quam Cotyle: mensura enim continet cyathos sex, pondere uerò drachmas LX. Sextarius mensura quidem continet cotylas binas, pondere uerò drachmas CXX. Sextarius autem apud Aegyptios Inium appellatur. Oxybaphum continet cotyles quartam, et mensura quidem continet sesquicyathum, pondere uerò drachmas XV. Concha maior eandem mensuram seruat, quam oxybaphum: continet enim mensura sesquicyathũ, pondere uerò drachmas quinque. Mystrum maius continet cotyles decimamsextam, quæ fiunt drachmæ duæ cũ dimidia & quarta. Minus uerò cotyles uigesimam secundam, quæ fiunt drachmæ duæ, scriptula duo, siliqua una & undecima. Chus continet mensura quidem cotylas Atticas duodecim, sextarios autem sex, chœnicas quatuor, pondere uerò pendet drachmas DCCXX. Hæc Cleopatra: quæ si de olei pondere intelligas, ut debent intelligi, uera sunt, atque cum Galeno concordant: sin de alijs liquoribus, nostra probatione non persuasus, minime. Eadem uerò ratione plærique alij apud Græcos intelligendi sunt, quorum uerba asscribere supersedeo, ne nimium excrescat liber. Sequitur ut similiter explicem, quantum Georgicæ mensuræ oleo repletæ pendeant. Verum in his quia Cotylen sesquialteram proportionem habere ad Atticam medicam probauimus,

mus, hæc consequuntur. Metretes capit centum & octo libras, pendet nonaginta. Amphoreus capit quatuor & quinquaginta, pendet quadraginta quinque. Chus capit tredecim cum dimidia, pendet undecim & uncias tres. Cotyle capit libram & sesunciam, pendet uncias undecim & drachmas duas. Oxybaphum capit tres uncias et drachmas tres, pendet uncias duas & drachmas sex cum dimidia. Cyathus capit uncias duas & drachmas duas, pendet unciam unam & drachmas septem. Mystrum capit semunciam & drachmam dimidiam, pendet drachmas tres cum dimidia & quartã drachmæ partem. Ita se habent Georgicæ. Hippoiatricæ uerò, in quibus Cotyle proportionem sesquitertiam habet ad Atticam medicam, hoc modo, Cotyle capit libram unam, pendet uncias decem. Oxybaphum capit dimidiam libram, pendet uncias quinq;. Cyathus capit uncias duas, pendet unciam unam, drachmas quinque, & scriptulũ. Mystrum capit unciam dimidiam, pendet drachmas tres & scriptulum unum. Cochlearium capit drachmas duas, pendet drachmam unam, & scriptula duo. Sic declaratæ sunt & Hippoiatricæ. Hæc autem omnia sunt intelligenda de oleo simplici ab amurca, qui est humor, ait Varro, aquatilis, ac retrimento bene defecato, nisi enim tale sit grauius est, quemadmodum etiam factitij genera omnia natiuo sunt grauiora, multamq; inter se habent differentiam, quam exquirere curiosum uidetur, & non magnæ utilitatis. Nunc tempus est ut minores mensuras conchyliorũ nominibus adpellatas explicem,

quod

quod me facturum primo libro recepi. De quibus cum diuersa admodum tradita sint ab authoribus, equidem malo Cleopatram sequi, quòd eius scripta sint doctißima. Sunt uerò hæ mensuræ minores, Concha, Mystrum, Cheme, Cochlearium. Concha itaque duplex est maior et minor, quod è Cleopatra intelligi potuit, de maiori quoq; scribit Nicandri interpres idem cum Cleopatra, ἡ μεγάλη κόγχη ἴση ζωμὶ ὀξυβάφῳ. Id est, Concha maior æqualis est oxybapho. Quæ uerba in exemplari exacto leguntur corruptißima. Maior igitur eiusdem est capacitatis cum oxybapho. Minor dimidium cyathum capit. Hæc autem, ut ex eiusdem Cleopatræ uerbis liquet, pendet drachmas quinque: illa uerò quindecim, nempe triplo maior. Nec uideo aliter ferè authores minores mensuras explicasse, q̃ per pondera olei, quod ipsum suprà declaraui. Vsi sunt & Latini concha pro mensura. Cato capite CLVI. Si amplius ibit sumito farinæ minutæ conchas duas, infriet in aquam, paulum bibat, consistet. Hæc ille. Qui quoniam utitur acetabuli uoce non uidetur pro eodem accepisse. Idem Cato usus est concha pro uasis genere capite LXVI. Cortinam plumbeam in lacum ponito, quò oleum fluat, ubi factores uectibus premerint, continuo capulator concha oleum, quàm diligentißime poterit, tollat, nec cesset. Sequitur mystrum quod duplex esse item Cleopatra tradit. Maius itaque ex eius sententia est decimasexta pars cotyles, pendet uerò drachmas tres cum dimidia, & quartam drachmæ partem. Minus autem uigesimasecunda pendens

dens drachmas duas, scriptula duo, siliquam unam & grani quatuor undecimas. Porrò maius Georgicum dicere possumus: ibi enim fiat in usu, ut uidere licet è ponderum collatione. Minus autem medicum. Quod etiam explicat Fannius, Atticas siue medicas mensuras declarans hoc hemistichio,

At mystrum cyathi quarta est.

Paulo tamen leuius pondus definit quàm Cleopatra, ut proportio sesquialtera & hic maneat inter medicum et Georgicum mystrum. Pendet enim cyathus ipsi drachmas decem, quarum quarta pars sunt drachmæ duæ cum dimidia: idem dicit Nicandri interpres, ὁ κύαθος ἔχει μικρὰ μύστρα τέσσαρα. Id est, Cyathus capit minora mystra quatuor. Hi itaque duo pulchrè inter se concordant. Et ab ipsis nihil discordat Græcus quidam, quisquis ille est, nec enim nomen exprimitur, qui sic scribit in libello de mensuris & ponderibus, τὸ μέγα μύστρον κοτύλης ὄξιν ὀκτωκαιδέκατον, ἄγει δραχμὰς γ̄. γράμμα ā. τὸ δὲ μικρὸν κοτύλης εἰκοσοτέταρτον, ἄγει δραχμὰς β̄ς̄. Id est, Maius mystrum Cotyles est octauadecima pars, pendet autem drachmas tres & scriptulũ unum. Minus uerò Cotyles quarta & uigesima, pendens drachmas duas cum dimidia. Sic ille, maius his uerbis cõstituens capacitatis minoris q̃ Cleopatra: minus uerò eiusdem planè cuius Fannius et Nicandri interpres. Ipsius itaq; duo mystra proportionẽ sesquitertiã inter se habẽt. Deinde tamẽ additur, τὸ δὲ δικαιότατον μύστρον γραμμάτια

ἔχει

ἔχῃ ὀκτώ. Hoc est, Iustissimum autem mystrum scriptula pendet octo. Idem ferè sentiens cum Cleopatra, quæ id de minori tradit, nisi quod Græcus ille ob difficultatem, aut aliud quidpiam exacte rationem non subiecit, omittens siliquam unam, & grani quatuor undecimas. Sed hic non multum ab alijs discessit. Alter uerò cuius nomen nihilomagis indicatur, diuersissima dicit sic scribens, τὸ τρύβλιον δὲ ἔχῃ μῦστρα μεγάλα. γ̄. ὀξύβαφα δὲ δ̄. τὸ γὰρ μέγα μῦστρον ἔχῃ ὀξύβαφον. α̅. τρίτον. τὸ δὲ ὀξύβαφον ἔχῃ κύαθον ας̄. ὁ δὲ κύαθος ἔχῃ χήμας μικρὰς ἤτοι μῦστρα μικρὰ. ῡ. Id est, Tryblium autem capit mystra maiora tria, oxybapha uerò quatuor. Maius enim mystrũ capit oxybaphum unũ et tertiã ipsius partem. Oxybaphũ uerò capit sesquicyathum. Cyathus autem chemas minores siue mystra minora duo. Hactenus ille. Qui cum Romanas mensuras explicarit, in præcedentibus quidẽ earum capacitatẽ, in sequentibus põdus iuxta tres notos liquores, hæc interiecit, quæ nec cũ Romanis nec Atticis conueniunt. Igitur importuna sunt aut falsa. Importuna si alterius cuiuspiam reipub. fuerunt, in loco enim non sunt admixta Romanis. Falsa si ita Romanas mensuras habere putans tradit. Quod itaque ipse appellat mystrum minus uel chemen minorem, Cleopatra concham nominauit. Postremo μῦστρον diminutiuum est, ἀπὸ τοῦ μυὸς, id est, à mure: unde Latinis musculus diceretur. Μῦς uerò conchylij genus esse ex Aristotele liquet. De mystro satis. Cheme similiter duplex est.

est. Maior est uigesima pars cotyles, pendens drachmas tres. Minor trigesima, pendens duas. De quibus audiamus rursum hæc Cleopatræ uerba, χήμη ἡ μεγάλη ἔχει δραχμὰς γ̄. καὶ ἡ μικρὰ δραχμὰς β̄. Hoc est, Cheme maior pendet drachmas tres, minor duas. Cū ergo cotyle pendeat drachmas sexaginta, ut iam probaui, perspicuum est Chemen maiorem partem cotyles esse uigesimam, minorem trigesimam. Habet itaq; maior cheme proportionem sesquialteram ad minorem: ex quo & hanc recte Medicam, illam Georgicam, opinor, dixerimus. De Cheme Suidas scribit χήμη εἶδος ὀστρέου. Id est, Cheme species ostrei. Rectius tamen conchylij scripsisset. Chemen maiorem intelligit Crito apud Galenum περὶ σωμάτων φαρμάκων κατὰ τόπους libro quinto, cum ait, λυθαργύρου χήμη. Quidam, ut ego sentio, docere uolens de qua Cheme sentiat, adiecit ἤτοι δραχμὰς γ̄. non per hoc spumæ argenti pondus explicans, sed olei si eo cheme implea-tur. Habet Fannius quoque chemen cum inquit,

At tertia mystri,
Quam uocitant chemen, capit hæc cochlearia bina.

Quæ de Cleopatræ minori cheme intelligi non possunt, multo uero minus de maiori, neutra enim neque maioris mystri, neque minoris tertia est. Dioscorides autem in libello de mensuris & ponderibus Chemen pro quarta cyathi parte accipit: quod igitur Fannius mystrum, Cleopatra mystrū nunus, ipse Chemen appellat. Fortassis hinc motus ille, cuius uerba suprà retuli, Mystrum minus

nus & Chemen minorem idem esse statuit. Ex quo satis apparet alios diligentius, alios negligentius minores mensuras considerasse. Nonnullos quia hæc omnia sunt conchyliorum genera aliud pro alio dixisse. Quosdam etiam pro uasculis magis, quàm pro mensuris, ipsis usos. Vno tamen excepto omnes qui cochlearij mentionem fecere non uariant, sed summo consensu chemen duo ex pere scribunt, licet diuersæ capacitatis cochlearia pro diuersa chemes acceptione hinc proueniant. Equidē hic Cleopatræ scriptis magnam fidem habeo, quod cum his quæ ex alijs uere sciri possunt uel maxime consentiāt. Colligamus igitur diuersa cochlearia. Primum est Romanum, quod Columella nobis uidetur constituere, nisi quis uelit potius ipsum Georgicum, transferentem eum locum è Græcis significare, & Romano more non locutum: quum uerò reliquas mensuras in ipso intelligimus Romanas, & hanc sic accipere usum est: in illius loco Græci habent mystrum: idem nuncupatur ligula, ut ibidem dixi. Deinde est Atticum Cleopatræ, quod pendet drachmam unam. Est enim decima cyathi pars, chemes minoris altera. Qui autem Chemen quartam cyathi esse tradit, is ipsam duo cochlearia cum dimidio capere scribit: unde iterum pendet drachmam, & decima est cyathi. Tum Fannij est cochlearium altera chemes pars, quarta & uigesima cyathi. Capit enim ex eius sententia Cyathus mystra quatuor. Mystrum chemas tres. Cheme cochlearia duo, ex quo fit ut quatuor & uiginti contineat cyathus. Porrò Scribonius Largus hoc minus

habet

habet cochlearium: cyatho enim uidetur tribuere triginta. Siquidem heminæ centum & octoginta. Verba ipsius sunt Cõpositione XVI. Postea oportebit scobis eboreæ heminã per duos menses cõsumere uitio correptũ, accipientẽ ex eo terna cochlearia in die, ex aquæ cyathis tribus. Idem tamen Compositione CXXII. maius illo cochlearium significat cum ait, Atque ita postero die sumuntur ex cornubus cochlearia tria cumulata, satis ampla. Ex his itaque apparet magnam cochlearij diuersitatẽ fuisse. Sed de minoribus mensuris satis. Cæterum omnia quæ de mensurarum pondere oleo refertarum suprà scripsi, si Galeno uiro magnæ eruditionis & multæ experientiæ accedimus, necesse est consequi. Accedimus uerò illi potius quàm alijs quorum nec eruditio, nec in hisce diligentia nobis perspecta esse potest. Sed de his postea. Nunc mensuras uino repletas declarabo, & primum Romanas. Culeus oleo plenus pendet, ut dixi, libras MCCCXXXIII. & uncias IIII. Vino MCCCCLXXXI. cũ dimidia et drachmas præterea II. & duo scriptula. Amphora olei pendet libras LXVI. & uncias VIII. Vini LXXIIII. & drachmas VII. atq; scriptulũ unũ. Vrna olei pendet libras XXXIII. uncias IIII. Vini libras XXXVII. drachmas tres & scriptula duo. Congus olei libras VIII. & uncias IIII. Vini IX. libras & uncias tres, scriptula duo, siliquas quatuor & grana duo. Sextarius olei pendet uncias XVI. & drachmas quinq; & scriptulum unum. Vini uncias XVIII. cum dimidia, siliquas duas

duas & grana duo atque duas tertias grani. Hemina olei pẽdet uncias VIII. drachmas duas, scriptula duo: uini uncias IX. drachmas duas, siliquam unam, granum unum & tertiam. Quartarius olei pendet uncias quatuor, drachmam unam, scriptulum unum: uini uncias quatuor, drachmas quinque, grana duo et duas tertias. Acetabulum olei pendet uncias duas & scriptula duo: uini uncias duas, drachmas duas cum dimidia, granum unum & tertiam. Cyathus olei pendet unciam unam, drachmas tres, siliquas duas: uini unciam unam cum dimidia, scriptulum unum & octo nonas grani. Ligula olei pendet drachmas duas, scriptula duo, siliquas duas: uini drachmas tres, siliquam unam, grana duo & duas nonas grani. Sic habent Romanæ. Hanc autem proportionem esse inter oleum & uinum, tum qui de pondere liquorum scripsere tradunt, tum experimento discere licet. Dicunt enim illi uno quasi ore uinum nona parte grauius esse oleo, quam rem, periculum faciens, sic esse comperi. Sed præstat uerba cuiusdam ex ignotis Græcis asscribere, is ait, ὁ δὲ οἶνος τοῦ ἐλαίου ἔννατον μέρος ὑποφέχει. ὅλον γὰρ αὐτὸν ἔχει ἴσον τὸ ἔννατον αὐτοῦ. Hoc est, Vinum autem nona parte excedit oleum, tantundem enim pendet, & nonam præterea eius partem. Idem ex alterius ignoti Græci uerbis intelligitur, nec minus ex his, quæ sub Dioscoridis nomine referuntur. Nam uterque Cotylen asserit olei nouem uncias, uini decem pendere, quod est, nona parte esse grauius. Quibus cum Fannius planè consentit, olei sextarium

rium decem & octo uncias: uini uerò uiginti pendere uersibus explicans. Solus interpres Nicandri siue ipse non satis diligenter expenderit, siue locus, ut alij plærique, sit deprauatus, nonnihil dissentit. Verum cum his à quorum parte stat experientia potius est sentiendũ. Cum igitur sextarium olei probauerim testimonio Galeni pendere uncias sedecim & drachmas quinque & scriptulum unum, pendebit seruata illa regula, quã iam ostendi, uini uncias decem & octo cũ dimidia, duas siliquas, grana duo, & duas tertias. Quo constituto, reliqua necessitate quadã, ut à me sunt exposita, cõsequuntur. Porrò uinũ debet esse fuluũ, κιρρὸν Græci uocãt, à quo tamen alia non adeo multum differunt, præter nigrum, quod crassum ualde est. Nunc Atticæ mẽsuræ, eodem liquore impletæ, pari ratione sunt explicandæ. Metretes olei pendet libras nonaginta: uini centũ. Chus olei pendet libras septem cum dimidia: uini libras octo & uncias quatuor. Sextarius olei pendet libram & quadrãtem, id est, uncias quindecim: uini libram unã, uncias quatuor, drachmas quinque, scriptulum unum. Cotyle olei pendet uncias septem cum dimidia: uini uncias octo, drachmas duas, scriptula duo. Semicotylium olei pendet uncias tres & drachmas sex: uini uncias quatuor, et drachmam unã, & scriptulum. Oxybaphum olei pendet unciam unam & drachmas septem: uini uncias duas & scriptula duo. Cyathus olei pendet unciam & drachmas duas: uini unciam unam, drachmas tres, siliquas quatuor. Hoc modo se res habet in Atticis. Geo-

mens. attica comparant.

orgicorum uerò Metretes, qui idem est cum Attico olei pendet libras XC. uini C. Amphoreus olei pendet libras XLV. uini L. Chus olei pendet libras XI. & uncias III. uini uerò XII. cum dimidia. Cotyle olei pendet uncias XI. & drachmas duas: uini libram, & drachmas quatuor. Oxybaphum olei pendet duas uncias, & drachmas sex cum dimidia: uini uncias tres, & drachmam unam. Cyathus olei pendet unciam unam, & drachmas septẽ: uini uncias duas, & scriptula duo. Georgicas & iam notas fecimus, supersunt Hippoiatricæ. Cotyle itaq; olei pendet uncias decẽ: uini uncias undecim, scriptula duo, obolum unum, siliquã unam. Oxybaphum olei pendet uncias quinque: uini uncias quinque cum dimidia, scriptulum unum, siliquas duas. Cyathus olei pendet unciam unam, drachmas quinque, & scriptulum unum: uini unciam unam, drachmas sex, scriptula duo, siliquas duas, grana duo, duas tertias grani. Mystrum olei pẽdet drachmas tres & scriptulum unum: uini drachmas tres, scriptula duo, grana duo, duas tertias grani. Cochleartũ olei pendet drachmã unã, & scriptula duo: uini drachmã unam, scriptula duo, obolum unum, granum unum, unam tertiã grani. Ita se habent mensuræ seruata Galeni sententia, & hoc dicto uinum nona parte plus pẽdere quàm oleum. Vino in põdere æqualis est aqua pluuia, uel alioqui pura: nam quæ uel metallicam materiam, uel limum attraxerit multum uariat pondere. Vnde Fannius uerè scripsit, postquàm expressisset ponderа liquorum sua ratione,

Hæc

Hæc tamen assensu facili sunt credita nobis:
Namque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes par pondus habent, non denique uina
Quæ campi aut colles nupérue aut antè tulere.

Vnum hoc adijciendum puto, Oleum inter liquores natiuos omnium consensu, & experientia ipsa comprobante leuissimum est. Sed uinum quod è fecibus uini liquidis in ampulla excoctis, atque in alium ui ignis sublatis, destillarit, leuius est oleo. Licet uerò ex eo etiam nonnihil cognoscere, quòd oleum si in id infuderis, fundum petat, cum reliquo uino uel aquæ affusum supernatet. Quāquam, quod dixi, magis propter subtilem penetrandi uim, quam habet uinum illud, esse uidetur. Deinde ut oleum facile inflammatur, ita uinum hoc humana solertia præparatum, si incenderis ardere non desinet quousque totum consumitur. Sed necesse est, ut aliquot uicibus sit excoctum, alioqui quò plus aquei habet, eò grauius existit, uidelicet eiusdem ferè ponderis cum oleo & igne consumitur minus. Perinde uerò ut uinum hoc factitium omni natiuo est leuius, sic aquæ ferè omnes, quæ ignis calore rebus quibuscunque excoctis destillarint, quas ob id destillatas appellant, cæteris aquis sunt leuiores. Reliquum nunc est, ut mellis pondus quoque iuxta diuersas mensuras indicemus, ac primum Romanas. Culeus uini pendet libras MCCCC LXXXI. cum dimidia, drachmas duas & scriptula duo: mellis libras MMCCXXII. uncias duas,

mellis mensura comparant.

drachmas quinque, scriptulum unum. Amphora uini pendet libras LXXIIII. drachmas septem, scriptulũ unum: mellis libras CXI. unciam unam, drachmas duas, scriptula duo. Vrna uini pendet libras XXXVII. drachmas tres, scriptula duo: mellis libras LV. cum dimidia, drachmas quinq;, scriptulum unum. Congius uini pendet libras IX. uncias tres, scriptula duo cum dimidio, siliquam unam, grana duo: mellis libras XIII. cum dimidia, uncias quatuor, drachmas quinq;, scriptulum unum. Sextarius uini pendet uncias XVIII. cum dimidia, siliquas duas, grana duo, duas tertias: mellis libras duas, uncias tres, drachmas sex, siliquas quatuor. Hemina uini pendet uncias nouem, drachmas duas, siliquam unam, granum unum & tertiam: mellis libram unam, unciam unam, drachmas septem, duas siliquas. Quartarius uini pendet uncias quatuor, drachmas quinque, grana duo, duas tertias: mellis uncias sex, drachmas septem cum dimidia, siliquam unam. Acetabulum uini pendet uncias duas, drachmas duas cum dimidia, granum unum & tertiam: mellis uncias tres, drachmas tres, scriptula duo, siliquas duas. Cyathus uini pendet unciam unam cum dimidia, scriptulum unum, & octo nonas grani: mellis uncias duas, drachmas duas cum dimidia, granum unum & tertiã. Ligula uini pendet drachmas tres, siliquam unam, grana duo, & duas nonas grani: mellis drachmas quatuor cum dimidia, siliquas duas, granum unum, & tertiam. Tantum pendent Romanæ mensuræ melle plenæ. Quod rursus probandum.

Fannius

Fannius & Dioscorides sic tradunt pondera liquorum, ut ex ipsis intelligi poßit, mel tertia parte uino esse grauius, quorum uerba paulò pòst afferam. Cum igitur uini sextarius pendeat uncias decem, & octo cum dimidia, siliquas duas, grana duo, & duas tertias: pendebit mellis libras duas, uncias tres, drachmas sex, siliquas quatuor. Hinc uerò reliqua, ut exposuimus, sequuntur. Porrò cum Fannio & Dioscoride experientia consentit, modo sumatur mel bene mundum, & id quod è fauis destillarit, despumatũ enim grauius est. Sed ab ipsis nõnihil discordat Græcus ignotus, q sic scribit, ἐι δὲ βουλοιο καὶ τὸν σταθμὸν τῶν ὑγρῶν εἰδέναι μέτρων, πάμπολλαι μὲν αἱ τῶν ὑγρῶν οὐσιῶν εἰσὶν κατὰ τὴν ῥοπὴν διαφοραί. ὡς ἐπὶ παραδείγματος ἐλαίου τε καὶ οἴνου καὶ μέλιτος λέξομεν. τὸ μὲν οὖν μέλι τοῦ οἴνου βαρυτερόν ἐστι τέταρτον μέρος καὶ προσέτι δεκάτῳ, ὅπερ ἐστὶ τὸ ὅλον σύνεγγυς τρίτῳ. ἔχει δὲ τὸ αὐτὸ τῷ οἴνῳ τὸν μέλιτος πόσον, ὅλον τὸν τοῦ οἴνου σταθμὸν, καὶ προσέτι τὸ τρίτον αὐτοῦ. Id est, Si autem uis & pondus mensurarum liquorum scire, uariæ sunt humentium rerum differentiæ iuxta grauitatem, ut uerbi gratia olei, uini, & mellis dicamus. Mel quidem uino grauius est quarta parte, & præterea decima, quod in uniuersum proximum est tertiæ. Habet enim mellis eadem cum uino quantitas siue moles, totum uini pondus, & præterea ipsius tertiam partem. Vides quod ille, quicunq; tandem fuerit, mel uino grauius esse dicit,

primo quarta parte, deinde decima, sic ut desit aliquid ne exacte tertiam compleat. Quarta uerò pars sextarij sunt unciæ quatuor, drachmæ quinque, grana duo, & duæ tertiæ. Decima autẽ, uncia una, drachmæ sex, scriptula duo, siliquæ duæ, grana duo, & duæ tertiæ. Tum quarta et decima coniunctæ efficiunt uncias sex, drachmas tres, scriptula duo cũ dimidio, granum unũ & tertiam: quæ si adiunxeris ponderi uini fient libræ duæ, & uncia una. Sed & hic tandem redit in uiam. Iam Atticas quoque mensuras exponam. Metretes uini pendet libras C. mellis CL. Chus uini pendet libras VIII. uncias IIII. mellis libras XII. cum dimidia. Sextarius uini pendet libram unã, uncias quatuor, drachmas quinq;, scriptulũ unũ: mellis libras duas, & unciam unã. Cotyle uini pendet uncias octo, drachmas duas, scriptula duo: mellis libram unã & semunciam. Semicotyliũ uini pendet uncias quatuor, drachmã unam, scriptulum unũ: mellis selibrã & drachmas duas. Oxybaphum uini pendet uncias duas, et scriptula duo: mellis uncias tres, & drachmam unã. Cyathus uini pendet unciam unam, drachmas tres, siliquas duas: mellis uncias duas, & scriptula duo. Tantũ pendent Atticæ mel le completæ. Georgicorum autem Metretes qui idem est, uini pendet libras C. mellis CL. Amphoreus uini pendet libras L. mellis LXXV. Chus uini pẽdet libras XII. cum dimidia: mellis XVIII. & uncias IX. Cotyle uini pendet libram & semunciam: mellis sesquilibram, & drachmas sex. Oxybaphum uini pẽdet uncias

tres,

tres, & drachmã unam: mellis uncias quatuor, & drachmas sex cũ dimidia. Cyathus uini pendet uncias duas, & scriptula duo: mellis uncias tres, drachmã unam, & scriptula duo. Tantum Georgicæ pendent. Sequũtur postremò Hippoiatricæ, ne hæ quidẽ negligendæ quando huc à nobis peruentũ est. Cotyle uini pendet uncias undecim, scriptula duo, obolũ unum, siliquã unam: mellis libram unam, uncias quatuor, drachmas quinq;, scriptulum unum. Oxybaphũ uini pendet uncias quinq; cũ dimidia, scriptulum unũ, siliquas duas: mellis uncias octo, drachmas duas, scriptula duo. Cyathus uini pendet unciam unam, drachmas sex, scriptula duo, siliquas duas, grana duo, duas tertias grani: mellis uncias duas, drachmas sex, obolum unum, grana tria & tertiam. Mystrum uini pendet drachmas tres, scriptula duo, grana duo, duas tertias grani: mellis drachmas quinque cum dimidia, grana tria, quinque sextas. Cochlearium uini pendet drachmam unam, scriptula duo, obolum unum, granum unum, & unam tertiam grani: mellis drachmas duas, scriptula duo, grana septẽ, et undecim duodecimas. Hactenus Hippoiatricas. Sic planè se habent pondera liquorum, si fidem habuerimus Galeno, id ipsum de olei pondere referenti, & communi experientiæ, qua constat uinum oleo grauius esse nona parte, & mel rursum uino grauius tertia. Sed ab istis discordant tam Græci quàm Fannius, qui diuersa tradens partim cum Galeno concordat, partim discordat. Concordat quidem in exprimendo Atticarum

mensurarum pondere, cum oleo repletæ fuerint, ut suprà declaraui. Nisi forte quispiam ipsum in commune constituisse putet mensurarum pondera, quod quo modo uerum posit esse nemo ratione consequi potest. Discordat uerò in Romanarum mensurarum pondere: nam ex eius sententia sextarius Romanus olei pendet sesquilibram, atque sic unciam plus & drachmas duas ac scriptula duo, quàm nos definiuimus. Tum uini uiginti, & quidem recte nona parte facit grauius oleo, sed plus ipsi quàm nobis pendet sextarius unciam unã, drachmas tres, scriptula duo cum dimidio, granũ unũ, & tertiam grani. Demum mellis libras duas cum dimidia, quod rursum tertia parte uino recte tradit grauius, sed ipsi sextarius mellis plus quàm nobis pendet, uncias duas, drachmam unã, scriptula duo, duas siliquas. Quod fit quia in olei pondere dissentiat à Galeno.

Iam uersus ipsius sunt subnectendi,

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus uarios seruare liquores,
Nam libræ (ut memorant) bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi,
Addunt semissem libræ liuentis oliui,
Selibramq; ferunt mellis superesse bilibri.

Cum Fannio prorsus consentit Dioscorides & alius quidam, quorum explicatio mensurarum Romanarum est in libello de mensuris & ponderibus. Videntur autem hi olei pondus tam diligenter quàm Galenus non expendisse: uel si recte expenderunt, aut oleum tam purum,

rum, quàm ille, non appendisse, aut purum quidem, sed paruæ mensuræ, ut cyathi examinasse: ubi quia parum ipsis deesse uideretur, quo minus sescunciam pẽderet, id non curantes sescunciam pendere dixerunt: deinde iuxta proportionem, quam habent inter se mensuræ, reliquarũ põdera sunt consecuta. Sed quo tandẽ modo acciderit, ut certo sciri non potest, ita ego malo Galeno uiro doctissimo et experientissimo, quàm istis credere: alius rationibus rem exquirens cui uelit assentiatur. Cæterum & horum sententiam paucis exponam non disiunctim ut antè, sed coniunctim, quod quidam ex ipsis quoque fecit. Quod autem Græci illi Romanarum mensurarum pondera explicent, uel ex eo clarũ est, quod dicunt, ἴτα λικὸν κεράμιον, id est, Amphora Italica: ὄυεννα, id est, Vrna: κόγγιον, id est, Congius: τέταρτον, hoc est, Quartarius. Habent uerò sic, Amphora Italica olei pendet libras LXXII. uini LXXX. mellis CXX. Vrna olei pendet libras XXXVI. uini XL. mellis LX. Congius olei pendet libras IX. uini X. mellis XV. Sextarius olei pẽdet uncias XVIII. uini XX. mellis XXX. Hemina olei pendet uncias IX. uini X. mellis XV. Quartarius olei pendet uncias IIII. cum dimidia, uini V. mellis VII. cum dimidia. Acetabulum olei pendet uncias duas, & drachmas duas: uini uncias duas cum dimidia: mellis uncias tres, & drachmas sex. Cyathus olei pendet sesaunciam: uini sesaunciam, drachmam unam, scriptulum unum: mellis uncias duas cum dimidia. Mystriẽ olei pendet drachmas tres: uini drachmas tres & scriptulum:

ptulum: mellis drachmas quinque. Si hæc uera essent, quilibet dictas rationes secutus facile constituere posset, quantum quæque mensura uel Attica, uel Georgica, uel Hippoatrica, oleo, uino, melle plena pendeat. Reliquum nunc est ut et de aridorum pondere aliquid dicam. Arida quæ metimur sunt frumenta, semina, legumina, sal: reliqua tametsi nonnunquàm metimur, frequentius tamen pendi solent, ut aromata. Metallica uerò solum appenduntur. E frumentis triticum est præcipuum bonitate simul & pondere: non autem unius est ponderis, siquidem leuissimi modius pendet uiginti libras, atque ita sextarius uncias quindecim, hemina septem cum dimidia. Grauissimi uerò modius pendet libras septem & uiginti atque dodrantem, & sic sextarius uncias uiginti, & drachmas sex cum dimidia. Hæc ex sententia Plinij ait ius uerba sunt libro decimooctauo capite septimo. Tritici genera plura quæ fecere gentes. Italico nullũ equidem comparauerim candore ac pondere quo maxime decernitur. Verum huius pondus non declarat, deinde paulò pòst scribit, Nunc ex ijs generibus quæ Romam inuehuntur leuissimum est Gallicum, atque è Cheroneso aduectum: quippe non excedunt in modium uicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Adijcit Sardium sex libras. Alexandrinum & trientes. Hoc est, & Siculi pondus. Beticum totam libram addit. Africum & dodrantes. Cæterum quod aliqui legunt adijcit Sardium selibras, deprauatum est: sic enim fàr longè grauius esset grauissimo etiam tritico, quod est contra Plinij sententiam

tentiam, qui sic scribit, Ponderosius far, magisq; etiamnũ triticum. Idem farris pondus explicat ibidem, In transpadana Italia scio uicenas quinas libras farris modios pendere, circa Clusium & senas. Igitur omnino legendum est sex libras. Verum hoc loco iterum mihi agendum est cum Budæo & Alciato, quod ni faciam, uereor ne mea per infirma uideantur, nemo tamen id eleuandæ authoritatis ipsorum causa, quam excellentissima eruditione merito consecuti sunt, à me factum interpretetur uelim, sed ueritatis asserendæ, quæ non sine multorum incommodo medicis nostris est hactenus ignota, ut in alio opere eiusdem cum hoc argumenti rationibus euidentibus ostendi. Sed primum Alciati uerba paulo diligentius expendamus, quibus suam de sextario Romano opinionem, post Isidori refutatam, declarat. Sunt uero hæc, Quid ergo censendum? ipse mensuras siue humidorum siue arentium eiusdem ponderis non esse & apud Nicandri interpretem, & apud Palæmonem legi. Sic ille. Quid apud Rhemnium Fannium Palæmonem legerit, paulo antè expositum: quid uerò apud Nicandri interpretem in alio opere, tum etiam mox nonnihil explicabimus. In utroque certe liquores inter se differre legit. Arida uero in Plinio deprehendit distare, quod etiam si Plinius tacuisset, facile Alciatus conijcere potuit. Deinde pergit, Quapropter si uasculũ qd' sextarium tritici capiat, ponduſq; unciarum sedecim habeat, quis aqua uel uino impleuerit, uiginti ferè uncias efficiet: grauius enim est unum seu aqua non solum

tritico

tritico sed etiam oleo. Ita Alciatus. Hoc autem, id est, sesquiquartam proportionem habere uinum uel aquam ad triticum, neque ex Fannio, neque Nicandri interprete didicit: nam hi nullam mentionem fecerunt ponderis aridorum, nedum tritici: igitur experimento, quod si est, non fuit scribendum grauius est uinum uel aqua tritico, sed tritico quod ego appendi: nam tum Beticum, tum Africum grauius est aqua uel uino, etiã si ex Fannij sententia concedamus, sextariũ uini uel aquæ pendere unci as uiginti, sedecim enim sextarij aquæ uel uini tunc pendebunt solum uiginti sex libras & uncias octo, cum sedecim tritici Betici pendeant libras uiginti septem. Africi uiginti septem & dodrantem. Igitur Beticum triente, Africum libra & uncia grauius est. Oleo tamen & uinum & aqua ponderosius. Sequitur in Alciato, Mel quoque, utpote grauissimum, pondere à cæteris differt, ita ut in duabus quibusque libris selibra supersit, si conferatur oliuo. Sic ille. Hanc autem sententiam siue putauit è Fannio posse elici, siue Nicandri interprete, ueram non esse constat. Fannius quidem ait,

Selibramq; ferunt mellis supereſſe bilibri.

Non uoleus id, quod Alciatus dicit, sed sextarium mellis pendere duas libras cum dimidia, cum olei pendeat, ut declarat carmen superius, sesquilibram, igitur mel plus pendet oleo libram. E Nicandri uerò interprete colligitur libram mellis uiginti unum stagium cum dimidio plus pendere, quàm olei libram: duæ ergo libræ mellis plus pendent q̃ olei, stagia tria & quadraginta: quia

uerò

uerò stagium, ut ipse explanat, est drachmæ unius et dimidiæ, fient drachmæ, sexagintaquatuor cum dimidia, quæ efficiunt octo uncias & drachmam dimidiam. Igitur neque ex huius sententia potest Alciatus ita conferre mel oleo. Qualis uerò ea sit, alibi disserui. Subnectit his, Cum ergo in põdere mensuræ huiusmodi differant, arbitror ueteres in commune constituisse, ut unciarum quindecim esset sextarius, ut quod uas leuißimi tritici uncias quindecim contineret, sextarius esset. Hæc ille. Leuißimi quidem tritici sextarius Romanus quindecim uncias pendet Plinio, qui scribit modium uicenas libras pendere. Verum ex hoc loco non tam sua probat Alciatus, ut nec potest cum tanta sit tritici diuersitas in pondere, quàm ex alio ubi de Atticis loquitur, quemadmodum suprà ostendi, qui locus de oleo est intelligendus, ut certe de nullo alio neque liquido, necque arido intelligi potest. Præterea cum è Galeni scriptis neceßitate quadam consequatur, sextarium Romanum oleo plenũ pendere uncias sedecim, drachmas quinque, scriptulum unum: E Plinij leuißimi tritici uncias quindecim, si iuxta proportionem quam inter se habent ipsi conferas Atticum, qui oleo repletus pendet quindecim uncias, tritico refertus leuißimo pendebit tantum tredecim uncias cũ dimidia. Qui ergo ueteres in cõmune constituerunt, quindecim uncias leuißimi tritici appensi sextarium complere? Attici ne? quorum mensuras declarat Plinius? Minime, nam apud eos sextarius leuißimi tritici, ut iam dixi, penderet tantum tredecim uncias cum dimidia. Tam-

etsi

VENETO VENEZIA

etsi non credimus Græcos, quantumlibet fuerunt curiosi, tantam habuisse curam leuissimi tritici, quod Romam inferebatur, quodq; Plinius alibi expressit, ut per id suas mensuras explicarint. Romani ergo. Sed quis hoc scribit? Plinius dicet, at ille in commune non dicit ueteres sic sextarium constituisse, sed ex eo intelligi potest, calculis subductis, sextarium leuissimi quidem tritici pendere uncias quindecim, non minus uerò grauissimi uncias uiginti, drachmas sex cum dimidia, & alterius cuiuspiam tritici sextarium aliud pendere. Vides igitur quòd non sat ponderis habeant dicta Alciati. Sed obscura sunt quæ subiecit, Sic de aqua, oleo, melle, cæterisq; siue aridis, siue humentibus. Quid ergo uas quod leuissimæ aquæ, quæ est pluuia, leuissimi olei, leuissimiq; mellis, atque aliorum liquorum tum etiam aridorum, continet uncias XV. sextarius erit? Tunc tot erunt sextarij quot sunt liquores et arida. Idem sequitur si leuissimum intelligendũ non est. Interrogabimus igitur an Romani tot sextarios diuersos habuerint, an unum aliquẽ certæ & iustæ capacitatis. Certe cum id quod è scriptis eius sequi indicaui, nõ uideatur uelle, dicet ipsos sextariũ habuisse definitæ quidem capacitatis, sed diuersi ponderis, prout res quas eo metiebantur diuersæ pondere extitere. Non ergo potest ullo modo dicere ueteres in commune constituisse, sextariũ unciarum esse quindecim ponderaliũ. Alciati opinione iã satis refutata et hac parte, ueniam ad Budæũ, qui nititur è trutico appenso, et aqua, quasi experimento quodã, sextarium Romanum dupon-

dium

dium asserere. Audiamus uerò ipsum. Satis autem habui hoc dicere, experimento me cognouisse sextarium Romanum dupondium pendere. Id quod rursus mihi credi nolo nisi argumentis optimis probauero. Quibus autem id probat? Primo adducit uerba Plinij de tritici pondere, deinde subnectit, His uerbis Plinius docet qđ deterrimum sit triticum, id pendere in modios uicenas libras. Quod autem longe optimum, ut Africum, septem & uiginti libras & dodrantem. Hæc è Plinij sententia. Pergit, Hoc cum ego probare uellem, tritici sex semisextariolos nostros, id est, sesquipintam pro captu bilancis admensus, in altera lance depleui, & ponderibus identidem examinatis ad parem tandem libram peruenni. Sic ille. Quantum uerò ex eius sententia sex semisextarioli efficiũt, mox ipse declarabit. Ait deinde, Hoc cũ in lectißimo tritico feciſſem, põderáq; adnotaſſem, ad aliud triticum tranſij. Erant enim mihi puluini duo Frãcicani tritici ſulcatim, ut aßolet, in horreo diſpoſiti, ut eodem ex agro, ſic non eadem ſegete: cum igitur ex eo ſimiliter eandẽ menſuram penſitarẽ, hoc diſcriminis adnotaui, ut quod in eis puluinis eximiũ eſſet, et exacte excuſſum uẽtilatúnque, eius mẽſura iam dicta leuiter agitata, & radiolo ſtricta, dupondium noſtrũ & quadrantem penderet, lance etiam peſſum eunte. Quod autem negligentius uentilatũ, & nonnulla ex parte lolio et melanthio mixtum, aut alia ſeminum inanitate, id duas libras & quadrantẽ ſiciliquo minus in æquilibrio teneret. Hoc credimus, ut eſt uir diligẽs & doctus, factũ

à Budæo,

à Budæo, ac melioris tritici Francici sex semisextariolos pendere duas libras Parrhisias & quadrantem, uilioris duas libras & quadrantem siciliquo minus. Sed quid pòst scribit? Hæc mensura, id est, sex semisextarioli, quos sextarios duos Romanos iudicatũ iri omnibus fortunis meis cauere non dubitarim, si quis diligenter animaduertere uelit, et ueritatem modulis & ponderibus explorare. Vides ex hac obligatione, ut pro certissimo habeat, senos semisextariolos tantum capere, quantũ duo sextarij Romani, quod tritici quidem appensione, de qua hic agit, probare non potest: nam pro bonitate & ulitate diuersi admodum ponderis est, unde hæreret ipsius experimentum, sed alias rationes quibus uidetur posse, in alio opere excussi: nunc quæ sequuntur expendamus, Seni inquam semisextarioli octauam partem modij efficiunt, quorum pondus triticeum si octonario multiplicetur, fient in summa duodeuiginti libræ nostræ lectissimi quidem tritici: deterioris autem, id est, quisquilijs seminum mixti, duabus uncijs minus, id est, siciliquis octo. Si uerũ esset sex semisextariolos eiusdẽ esse capacitatis, cuius duo sextarij Romani, necessario cõsequeretur, quòd octonario multiplicati, efficerent duodeuiginti libras lectissimi tritici: quia sex, ut asserit, faciunt libras duas et quadrantem. Tum explicat diuersitatem libræ Parrhisijs usitatæ à Romana his uerbis, Porro cum libra nostra, ut sæpe dixi, zygostatica, qua merces appensiles negociatores admetiuntur, quadrante maior sit libra Romana, fit ut duodeuiginti libræ nostræ quatuor & uiginti

libras

libras Romanas æquent. An ea differẽtia sit libræ mercatoriæ ad Romanam similiter alibi perpendimus. Pergit Budæus, Ita fit ut triticum nostrum in agro, qui Francia dicitur, natum, duabus libris Siculo leuius sit, cuius tamen supremam notam existimo semissem aut quadrantem uigintiquatuor libris addere posse. Primũ hæc cum Plinio non concordant, qui minus multo pendere Gallicum scribit. Deinde nec ipse Budæus exacte ponderauit: nam si semisse plus pendet, nihil'ne hoc putat esse Budæus? poterant sex unciæ resolui atq; exacte dici, quantum sextarius Romanus tritico optimo implet us pendeat, quod si ibi parum uideretur, in modio tamen, ubi sedecies excrescit, non erat negligendum. Sequitur, Hoc genus experimenti cum cuiuis obuiũ sit & expositum, non est cur alia Plinij authoritate uel uera, uel mendosa, impugnare ueritatem quispiam citra pertinaciæ reprehensionem possit. Si Budæus uera esse sua firmis argumentis probasset, atque his ipsis quispiam non assentiret, iure pertinax dici posset, aut saltem tardus, si ea quæ dixisset uera, ingenio consequi non potuisset, nunc cum id nondum factum & adhuc sub iudice lis sit, nullus iure pertinax dicetur opinor, sed interea temporis nobis cum Budæo æquo iure disceptare licebit usque dum ueritate bene cognita doctissimi & optimi quique sententiam tulerint. Et profectò hæ atque aliæ eiusmodi asseuerationes, cum alioqui apud me ob insignem eruditionẽ grauis esset Budæi authoritas, me non parum commouerunt, adeò ut penè eò deduxe-

rint, ut opus cœptũ intermitterẽ: uerebar enim ne forte mihi perpetuæ contẽtiones cum uiris illis doctißimis futuræ essent. Deinde ueni in hanc sententiam, ut mea simpliciter probarem absq; diuersarum sententiarum refutatione. Quod ut doctis sat fuisset, ita rudibus atq; etiam quibusdam mediocribus facilè potuisset imponere tantorum uirorum authoritas, quam tam aliquot annis, libris non indoctis æditis, sibi compararunt. Periculũ itaque erat mea condemnari posse antequàm intelligerentur, quod etsi me non perinde mouisset, multis tamen obfuisset ueritatem in incerto relinquere. His ego motus argumentis ago cum Budæo, qui ut iuris est peritißimus, ita amantißimus credo ueritatis. Si itaque sua cognoscet non uera, de sententia desistet: sin uera, solidis argumentis mea refellet, quod si fecerit equidem non modo non indignabor, sed etiam gratias habebo pro ueritate cõmonstrata. Verum difficile hoc futurum arbitror: quod ego optimorũ authoritatem sequutus in hanc sententiã, quam tueor, uenerim: ipse suis quibusdam coniecturis & experimentis uiderit q̃ certis nitatur: quanquam ne hic quidẽ præiudicare uolo, sed licebit his existimare, qui utriusq; nostrũ scripta diligẽter legerint. Cæterũ quæ in Plinio Budæi sententiæ aduersa sunt, minime sunt mendosa, sed uera, quæ de Atticis recte intelligi, quod etiã ipse Plinius uult, suprà declaraui. Si igitur Budæus sextariũ Romanũ tantũ modo dupondiũ esse tradit, nihil ipsi repugnãt, ut nec mihi q uiginti unciarũ esse mẽsuraliũ aio. Si uerò sextariũ q

duplus

duplus est cotyles Atticæ similiter dupondium statuit, quod facit easdē Atticas & Romanas mensuras esse scribens, hæc Plinij multū ipsi aduersantur, & recte. Igitur quod ad Atticū attinet sextariū, Plinij authoritate citra pertinaciæ reprehēsionē, sperō me impugnaturum Budæi sententiā: quod ad Romanū, aliorum, & non infirmis argumentis. Pergit deinde, Hic si quis sex libras legat, ut habent quædā exemplaria antiqua, ut sit, adijcit Sardiū selibras: hoc etiam amplius id quod agimus confirmabit: cum Plinius dicat grauissimū frumentum libras unam & uiginti & dodrantem pendere, et nos experimento didicerimus quod optimum apud nos sit frumentum, id in modios Romanos quaternas & uicenas libras pendere. Quare si Plinius in pondere non deceptus est, uel nostrum triticum etiam Africæ præstantius est, uel libra Romana maior aliquanto fuit, quàm nos eam esse statuerimus, & tamen periculum nullum est, ut arbitror, ne minorē fecerimus libram, cū mensuras auxisse uideamur, quæ pōdere deprehendūtur. In hanc enim tantum partem errare potuimus, utpote cum Plinius sextarium centū et uiginti drachmarum faciat, quem nos bilibrem fiasse cōtendimus, id est, drachmarum centum & nonaginta duarū: qua ratione hemina libralis fuit, quam Plinius sexaginta drachmarū fuisse dicit, id est, tertia parte minorē, atq; eo amplius. Hæc ille. Hanc lectionē, quam profert Budæus, non amplector, quòd pugnet cum ipso Plinio, ut suprà ostēdi. Sed utramcūque tandem Plinij lectionem probaueris,

nihil ex ea iuuatur Budæus, quo duarum librarũ ſextarũ Romanũ aſtruere poſſit. Quod uerò ait tum Francicum triticũ Africæ præſtantius eſſe, quippe quod grauius, id ut in laudem Galliarum cedit, ita gratulor Germanis quod tam cultã terrã occuparũt. Si qd enim laudi dari poteſt non modo Francis & Burgundis et Nortemannis qui Gallias occuparunt, ſed etiam Anglis & Pictis atque Scotis qui Britanniam, Sueuis & Gothis qui Hiſpanias, Vandalis qui Africam, Gothis & Longobardis qui Italiam, hoc communi Germanorum gloriæ debetur, nam hi omnes Germani fuerunt. Sed quod ſcribit, & nos experimento didicerimus, quod optimum apud nos ſit frumentum, id in modios Romanos quaternas & uicenas libras pendere. Si uerum eſſet, ſextarius Romanus eo tritico impletus pẽderet ſeſquilibram. Menſuras autem capaciores ipſum feciſſe ex libro primo intelligi poteſt, unde in eam parĩ peccauit. Plinius uerò, ut iam ſæpe dixi, Atticas menſuras exponit, atque hinc ſequitur Atticum non Romanũ ſextarium tot pendere drachmas. Sequitur mox, Carmina autem quæ apud Priſcianum leguntur, ſextarium uiginti unciarum eſſe ſtatuunt, quo fit, ut noſter ſuperquintus ſit eius, id eſt, quinta parte ſuperans. Fannius annexus eſt Priſciano apud quem non legitur ſextarium uiginti unciarum eſſe, ſed ſextarium aquæ, uel uini pendere uiginti uncias, ut olei ſeſquilibram, mellis libras duas cum dimidia. Verum intelligimus ex eo Budæum cum Romanum ſextarium dupondium eſſe aſſerit, de

aqua

aqua pleno sentire, quem ego aliquanto minus, quàm Fannius ait, pendere probaui, quis igitur non uidet Budæum multo capaciorem quàm uerè fuit statuisse? Deinde disputat de loco Plinij, quæ, quoniam ipsius opinionem non confirmant, relinquamus. Postea admonet quo modo triticum recens sit metiendum, atque hactenus nihil aliud egit, quàm quod Francici tritici pondus suo modo constituerit. Postremò sic, quod uult, colligit. Verum qui hoc quod diximus tritico expendendo fecerit, tum demum aquæ pondus exploret: futurum enim recipio ut quæ mensura tritici duas libras nostras & quadrantem pependerit, id est, sex & triginta uncias, eadē tres libras nostras, id est, quatuor Romanas pondere aquæ efficiat, ut sit inter triticeū aqueumq; pōdus proportio sesquitertia: qua ratione bilibrē fuisse sextarium antiquum necesse est, id quod Isidorus ex quopiā authore antiquo scripsit, etiamsi Plinius heminam sexaginta drachmarū esse dicit, quod perinde ualet atq; si sextariū libræ unius & quadrantis esse dixisset. Quid ex his, quæso, inferri potest? aliud nihil nisi Francicum triticum sesquitertiam proportionem habere ad aquam, quam Budæus appendit, si æqualis mensuræ appenduntur. Hoc ergo experimento nihil agit, probandum est ternos semisextariolos Frācicos tantum capere quantum capit sextarius Romanus. Audiamus uerò quomodo id probet: sed de modio citanda sunt exempla. Cato, Vbi sementem paraueris, glandem parari legiq; conuenit, & in aquam conijci. Inde semodios sin-

gulis bubus dare oportet, si laborabũt. Columella de bubus aratorijs loquens libro septimo, Bubus pro temporibus anni pabula dispẽsantur. Ianuario mense fresi & aqua macerati erui quaternos sextarios mixtos paleis dare conuenit, uel lupini macerati modios, uel cicerculæ maceratæ semodios. Idem si grano abstinemus, & regionis copia permittat, cum fronde laurea et ilignea glans adijcitur, quæ, nisi ad satietatem detur, scabiem parit. Potest etiam si prouentus utilitatem facit, semodius fabæ fresæ præberi Nouembri mense ac Decembri: per sementem quantum appetit bos tantum præbendum est: plerũq; tamen sufficiunt singulis modij glandis & paleæ ad satietatẽ datæ, uel lupini macerati modij, uel erui aqua cõsperſi sextarij septeni permixti paleis, uel cicerculæ similiter maceratæ sextarij duodeni, uel singuli modij unaceorũ. His exẽplis conijcere possumus modiũ Romanũ non dispare fuisse ei mẽsuræ, quẽ Bœotiũ nostrates uocant, cum sit diurnus cibus bouis aratoris modius aut semodius, p uarietate pabuli. Apud nos equis uiatorijs per diuersoria cibus status est in dies cistellæ ternæ auenæ, ut in Italia ordei. Sic enim semper tulit stabulariorum formula. Sed strigosis equis cũ longis itineribus fatiscunt auctariũ noctu dari solet, id est, quarta cistella. Hæ quaternæ mẽsuræ bœotiũ uel bossellũ nostrũ triticarium implent, qui modus est omnibus iã sarcinarijs equis per stabula uiatoria statutus. Hæc Budæus. Cuius coniectura nulla, meo iudicio, est, quòd rei rusticæ scriptores his uerbis mensurã pabuli

buli bubus dandi præscribant: ipse hodiernam pabuli equini rationẽ explicet: cum diuersa ipsis sint pabula: boum enim ferè est glans et legumẽ: equorũ, auena, & seminis genus, quam Speltã Itali uocant: ac permutatio non fiat, nisi summa necessitas cogat. Quare nisi ad bubuli pabuli hodiernam rationẽ quadret, nihil aget hac coniectura. Et uerisimile est non pauca hac parte non modo in Gallijs & Hispanijs, sed etiã Italia ipsa mutata: quòd à diuersis nostris gentibus uastatæ hæ regiones & occupatæ sint. Pergit paulò pòst, Post hæc antiquitatis monumẽta cũ mensurarũ modos deprehendere magnopere cuperẽ, ad pondus examinare rẽ instituti, quo facto cum nec ex carminibus illis, nec ex Plinio respõderent, nihil potius tandẽ inueni, q̃ id quod apud Isidorum non optimũ ipsum authorẽ, ne harũ quidem rerũ legitur: usqueadeo, quod Plinius aiebat, nullus liber tã malus est, ut nõ aliqua ex parte prosit. Hemina, inquit ille, appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. Sextarius enim duarũ librarũ est. Plinij de Atticis, Fannij uerò partim de ijsdẽ, partim de Romanis intelligenda esse ostendi, quæ magis conueniunt cũ ueritate, quàm Isidori, quæ probat Budæus. Sed de hac Isidori opinione primo libro copiosè dixi, quare nunc eadem repetenda non sunt. Subiungit, Hoc cum legissem ilico tres libras nummularias, id est, sesquilibram negociatoriam in lance grandiuscula statui, cuiusmodi sunt lances quibus ad argentum expendendum utuntur, in oppositа lance aquam fundere famulum qui mihi

aſtabat iuſſi, quoad rem deducerem ad exactum æquilibrium, id quod aſſecutus ſum adijciendo uicißim adimendóque aquulam argentea ligula: tum uaſcula ſtannea implendo, non uſualia illa quidem & ex ſuppellectili ſumpta, ſed iuſtæ omnino menſure, quibus uenditando uino cauponantes uti ſolent: tandem cõperi duas libras Romanas, id eſt, duodenarias, quæ tribus octonarijs, id eſt, nummularijs reſpondent, eam omnino eſſe menſuram, quam ternos ſemiſextariolos lingua uernacula huius urbis appellat, qui dodrãs eſt eius menſuræ, quam Pintam eadem lingua uocat. Hæc Budæus. Iſidorus quidem ſcribit heminam pẽdere libram unam, & ſextarium duas, ſed cuius rei, nuſquam exprimit toto iſto capite, quam ob rem apparet ipſum harum rerum ignarum fuiſſe. Sed unde hoc in mentem uenit Budæo Iſidorum de aquæ pondere loqui? Cur non potius ſequitur Fannium, qui expreßis uerbis ait Sextarium aquæ pendere uiginti uncias? Sed quia authoritati dubiæ, ut non dicam falſæ, innititur, nihil probat. De libra Romana proximo libro dicam. Pergit demum, Hoc cõperto, cum uaſculum illud dodrantale tritico primæ bonitatis implerem, identidemq; in modium, id eſt, boſſellum transfunderem, non ante æquatum ad ſumma labra reddidi, quàm ſedecies impletum itidem uaſculum in modium transfudi. Id cum ad pintam exigerẽ, duodecies exhauſi exacta obſeruatione trãſuaſando. Hac ratione cũ cotula geminata ſextariũ faciat, qui bilibris eſt, oportet eam libralem eſſe, id eſt, ſex & nonaginta

drachmas

drachmas pẽdere: ita oxybaphus qui cotulæ quarta pars, quatuor & uiginti drachmarum erit, hoc est, quadrantale: & cyathus qui sextarij duodecima pars est, sedecim drachmas pendebit, id est, sextantem libræ Romanæ: Nostra uerò pinta duodecima pars est modij, id est, amphoræ sexta & triceſima. Hactenus Budæus. Si fundamentum cui innititur, nempe sextarium Romanum aquæ libras duas pendere, uerum esset, quædam necessario essent uera, quæ scilicet de hemina, acetabulo, & cyatho ab ipso dicuntur, quædam non dicerem falsa, sed crederem, ut quæ de Francicis mensuris scribit, iam nec ipsum fundamentum uerum esse hactenus probauit, nec probare opinor poterit, qua de re omnia rursum incerta sunt. Pergit postea rem adaptare ad Francicas mensuras, quod nihil ad sextarij probationem facit, quocirca id omittam, nam quiuis legere poterit. De tritici itaq; pondere nihil certi scribere possum: nam non parum pro regionum diuersitate, atque item in his ipsis agrorum situ & terræ generibus uariat, præterquàm quod Plinius scripsit, cui facile credimus, ea quæ Romæ erant propemodum decantata, notissima fuisse. Si itaque iuxta Fannium acceperis, sextarium Romanum aquæ pendere uiginti uncias, Gallici uerò tritici, quod è Plinio sequitur, quindecim, erit sesquitertia proportio, quam Budæus asserit, inter aquam & triticum Francicum, atque tum Gallicum triticum nihilo hodie grauius est, quàm fuit olim. Non ergo dicendum, sextarium aquæ pendere duas libras, quod etiã Isidorus non scripsit, ne-

dum

dum è bonis authoribus quispiam, sed cum Galeno potius sentiendum est: quia uerò tunc ea proportio non remanet, sit aut quod grauius triticum Budæus appenderit, quàm Romam inferebatur, aut quod aliam quàm pluuiam & non satis puram aquam sumpserit. Quod uerò de restitutione libræ Romanæ & amphoræ, unde sua procedunt, scripsit, in alio opere expendimus. Iam ad ordeum ueniam, cuius pondus his uerbis explicat Plinius eodem capite, Leuissimum ex his ordeum, rarò excedit quindecim libras. Pendet itaque sextarius undecim uncias & drachmas duas. De rerum pondere satis. Nunc notas tam Græcarum quàm Romanarum mensurarum exponam, quò finiam hunc librum. Mensuræ Romanæ suas notas habent, quas præter Volusium Metianum in libello de Asse, scio explicasse neminem. Forte in hac re aliquid egregij præstabit Ioannes Auentinus Boious, qui se de Mensuris & Ponderibus scripturum promisit, nihil enim dubito quin multa in antiquis monumentis, quæ sunt in Norico & Rhetia secunda obseruauerit, tum etiã in ueteribus codicibus, qui extãt Augustæ Tiberij apud diuũ Hemeranum, & in cœnobijs ad Danubiũ sitis, quæ superius et ĩferius Altachũ dicũtur.

Culei autem nullam notam hactenus inueni. Quadrantalis, quæ amphora uocatur, talis erat. ℥. Vrnæ uerò ℥ S. qua significatur dimidium quadrantal esse. Congij Σ. Sextarij ↄ. Heminæ ↄ S, iterum adiecta dimidij nota declaratur heminam dimidium esse sextarium. Quartarij Q℥. Cyathi Cu. In aridis uerò, Modij

M°.

M. Semodij ℳ ς. Acetabulum autem & ligulam notis ueteres scripsisse quoque non inueni. Sic se habent Romanarum mensurarum notæ, si quis notarius his uti uelit. Porro Græcarum maxime in usu sunt apud medicos. Si κ & ρ supraponitur μ, significat κοράμιον, hoc modo κ̃ρ̃. χ habens o supra additum notat χόα, hac figura χ̊. ξ habens supra scriptum ε, indicat ξέστης sic ξ̊ε̊. Sed frequentius ita notatur, ut recta linea ξ inferiorem partem secet hoc modo ξ̷. κ suprà scriptum habens o, atque lineam obliquam quæ inferius eius cornu dissecet, significat κοτύλην hac figura κ̊. ξ si habuerit supra additum o, indicat ὀξύβαφον, hac pictura ξ̊. κ habens superne scriptum υ, atque lineã obliquam, quæ inferius eius cornu secet, significat κύαθον, hoc modo κ̆. μ habens superne scriptum υ, indicat μῦστρον, hac figura μ̆. χ habens superne positũ κ, significat χήμικρον, isto modo χ̆. Sed & τρύβλιον, quod idem est cum cotyle sic notatur, ut τ ipsi ρ & υ subiungantur, hac forma τρυ. In aridis quoque si μ habuerit superne positum ε, significat μέδιμνον, hoc modo μ̃. Si χ habuerit superne scriptum ν, notat χοίνικα, hac figura χ̆. Tantum de notis, sequuntur pondera.

GEORGII AGRICOLAE LIBER QVARTUS, de Ponderibus Romanis.

VENSVRAS & rerum quarundam, quæ metiri solent, pondera tribus superioribus libris conatus sum diligenter explicare, & pro uiribus defendere, ne uel propter obscuritatem facile rursus possent corrumpi, uel propter diuersas opiniones dubij multum, fidei haberent parum. Duobus uerò sequentibus libris ipsa pondera, quibus eadem res graues aut leues censemus, sunt declaranda. Hæc autem instituti operis pars, quia tam obscura inuolutaq; quàm mensurarum nõ est, nec illi qui nuper de his scripsere tantopere inter se dißidẽt, nec mihi opus erit multis rem exponere. Vbi autẽ ab ipsis dissentio, nõ sæpe fit ut cum uno aliquo tantum discordẽ, sed plærunq; cũ omnibus. Si igitur unius sententiam refutauero, omnũ refutauero: unde sic quoq; aliquanto breuior esse poßum. Cũ uerò Romani perinde ut mensuras, ita sua habuerint põdera, et item Græci sua, Romana etiã hic primo tradere decreui, qđ ea ipsa cognita et perspecta nonnihil lucis Græcis ponderibus

deribus afferre poßint, præsertim his, quæ unà cum imperio Romano illi receperunt, quod genus sunt, libra et uncia, quibus licet è Græcis alij scriptores rariſſime, medici tamen frequentiſſime utuntur. Romana itaque pondera sic se habent. Libra quæ & pondo diuiditur in duodecim uncias. Hinc partes eius sunt, Vncia, per se: sextans, duæ unciæ: quadrans, tres: triens, quatuor: quincunx, quinque: semis, sex, quæ etiam Selibra dicitur: septunx, septem: bes, octo: dodrans, nouem: dextrans, decem: deunx, undecim. Sescuncia autem est uncia una cũ dimidia. Vncia uerò ipsa rursus diuiditur in duas semuncias, in tres binas sextulas, in quatuor sicilicos, in sex sextulas, in septem denarios, in uiginti quatuor scriptula. Denarius autem diuiditur in duos uictoriatos, in sex sextantes. Sic ipse sentio de ponderibus Romanis, quod ut confirmem ex utriusq; linguæ scriptoribus, testes adhibebo. Libra itaque inter minora pondera maximum, inter maiora minimum est. Maiorum enim nomine censentur, quæ libram grauitate uincunt: minorum quæ contrà ab ea uincuntur, ut sit ipsa medium quoddã quod ad utraq; pertineat. Maiora pondera suprà omissi, quod ex libra omnia constent, nec nomina apud Romanos habeant, præter centum pondium, quod centum est librarum. Libra nanque pondo etiam dicitur. Hinc Festus ait, centena pondo dicebant antiqui referentes ad libram. Maiora autem pondera partim discreta, partim indiscreta fuisse ex Catone aduertimus, qui sic scribit capite XIII. Centumpondium incertum unum & pondera

dera certa. Per centumpondiũ enim cẽtena intelligit põdo: per incertum, in diuisum, quod unius massæ fuerit: quẽadmodũ & in centenario, quo uocabulo iuniores utuntur, uel hodie uidere licet. Per pondera autem certa, intelligit alia in quæ centena pondo erant diuisa, nã ueri simile est ueteres Romanos massas certæ grauitatis aliquot habuisse ex metallica materia, in quas centena pondo diuiserint, ut hodie prima maßa centum solet esse librarum, non secus ac olim Catonis centumpondium. Adpellatur uerò ea centenarium, quam idem Cato incertum nominaret, ut alias in quas diuiditur pondera certa. Diuiditur autem in aliquot minores, unde secunda massa fit quinquaginta pondo: tertia quæ dimidium secundæ est, uiginti quinque. Hæc itaque quarta est pars centumpondij, illa dimidia. Sed eædem centum libræ in quinq; etiam partes distribuuntur, ex qua partitione quarta prouenit massa uiginti librarum, quæ iterum diuisa quintam constituit librarum decem. Sic hodie habent pondera matora, nisi quòd maxima massa alijs centum & decem librarum, alijs centum & uiginti, alijs alia esse soleat: quo fit, ut & reliquæ plures libras habeant. Qui igitur pondera hæc usitata cõsiderare uoluerit, non, opinor, dubitabit Catonis locum sic esse intelligendum. Quin etiam Græcis eiusmodi massas ponderales è plumbo in usu fuisse, quæ aliquot minarum essent, ex Hesychij conijcimus uerbis, μολυβδὶς σάθμιόν τι ἐπταμναῖον. οἱ δὲ μολβίς, id est, Molybdis pondus quoddã est septem minarum, alij Molbis dicunt. Sed

de

de maiorum ponderum distinctione satis. Pro centumpondio dicitur et centena pondo, ut ex Festo, cuius uerba iam retuli, liquet: & centum pondo, ut ex Plauto in Asinaria, qui ait,

Nudus uinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

Sed idem Plaut. centumpondio ibidem utitur, cũ inquit, Ad pedes quando alligatus es æquum centumpondium. Solent itaque Romani scriptores rerum pondera per pondo uel libras significare. Varro de uita populi Romani, ut citat Nonius Marcellus. Delphos Apollini munera missa, corona aurea pondo ducentûm. Idem libro quarto eiusdem operis, Itaque retulit auro pondo mille octingentum septuagintaquinque, Liuius libro quinto ab urbe condita, Et mille pondo auri precium populi gentibus mox imperaturi factum. Plinius libro trigesimotertio capite sexto, Mirũ adhuc per Hispanias ab Annibale olim inchoatos puteos durare, sua ab inuentoribus nomina habentes, ex quis Bebelo adpellatur, hodieq; qui CCC. pondo Annibali sumministrauit in dies. Sic Romano more ferè loquuntur authores. Græci uerò minas suas in talenta colligunt. Redeo ad libram à qua fit Libralis. Plinius lib. 33. ca. 3. Libralis unde etiã nunc Libella dicitur, et dupõdius appendebatur assis. Et Columella libro sexto capite secundo, Libralesq; offas in præsulsæ adipis liquamine tinctas ligula dimittuto. Hinc quoque fit Bilibris, id est, duarum librarum. Martialis quinto Epigrammatum,

Nolo

Nolo mihi ponas rhombum, mulúmue bilibrem.

Et Trilibris, *trium librarum.* Horat. *in secundo serm.*

laudas insane trilibrem Mulum.

Et quadrilibris. Plautus in Aululari*a*,

Quadrilibrem aulam auro onustam habeo, quis me est diuitior?

A pondo quoque fit dupondius, quo usus est Plinius loco suprà citato. De quo sic Varro scribit, Dupondius à duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur, id ideo quod as erat libræ pondus. A pondo quoque fit duapondo & trepondo. Hinc Fabius inquit libro primo de institutione oratoria, Quid? quod quædam quæ singula procul dubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur. Nam dua & tre & pondo diuersorum generum sunt barbarismi, at duapondo et trepondo usque ad nostram ætatem ab omnibus dictũ est, & recte dici Messala confirmat. Sed Scribonius Largus pondo dua & pondo tria dicere consueuit: quemadmodum pondo quinq; uel sex, ut Cõpositione XLV. Spumæ argenteæ pondo dua: & Compositione LXXXII. Resinæ terebinthinæ pondo dua, ceræ pondo semissem: & Compositione CCLXVI. Ceræ pondo dua, resinæ fractæ pondo dua, picis Hispanæ pondo tria, ammoniaci pondo libram. Hæc ille. Pondo itaque si solum ponitur idem quod libra significat: sin alteri uocabulo ponderis adijcitur, id quod Græcis σαθμῷ uel ὁλκῇ, id est, pondere. Sic scribitur pondo libra, pondo uncia, pondo semuncia, ad differentiam libræ, unciæ, & semunciæ,

eiæ mensuralis, quas ut ab alijs ponderalibus distinguant, Græci addunt μέτρῳ, quod est mensura. Is itaque usus in pondo Romanis adeo inualuit, ut etiam ijs ipsis, quæ ambigua non essent, adijceretur: sic sæpe scribitur pondo denarij duo, tres, quatuor. Verum de hac re plura libro primo dixi: nunc probandum est libram duodecim esse unciarum. Cuius rei testis est primo Galenus, eius uerò uerba non est cur iterum referam: deinde Volusius Metianus in libello de Asse, cum ait, Ponderis eadem diuisio est quæ æris, nam in quas partes as diuiditur, in has & libra dispenditur. As autem diuiditur in duodecim uncias, ut idem atq; etiã Balbus ad Celsum de agrimensoria scribit, igitur & libra in duodecim uncias dissecatur. Medicamentarij indocti qui librã sedecim unciarũ, quot sane negociatoria est, in medicamentis cõficiendis accipiunt, non minus hic aberrant ac in libra mensurali. Proportio namque medicinarum, quas recipiunt mixturæ, mutatis ponderibus non respondet, qua de re alibi uberius disserui. Huius itaque erroris uitandi gratia quot unciarum sit libra necesse fuit probari. Sed audiamus Volusium quomodo as diuidatur, cum omnino par sit ratio libræ, notas autem nunc omittam. Prima diuisio solidi, id est, libræ, quod as uocatur, in duas partes dimidias diducitur, pars dimidia Semis uocatur. Sequens diuisio fit in tres tertias partes, pars tertia Triens uocatur. Sequitur diuisio in quatuor quartas, quarta pars Quadrans uocatur. Deinceps fit diuisio in sex sextas

partes, sextæ partis nomen est sextans. Deinde diuiditur in octo octauas, quæ Sescunciæ uocantur. Item nouẽ nonas, nona pars uocatur uncia duæ sextulæ. Diuiditur item as in duodecim partes duodecimas, uocantur singulæ unciæ. Hæc uelut elementa primæ de asse distributionis æqualitatem seruant, si quid quibusdã parum detrahas uel conferas fient dispares: quare si quadranti sextantem, uel trienti unciã applices, facies quincunce, qui constat ex quinq; uncijs, hoc est, quinq; duodecimis. Si semissi applices duodecimam, uel quincunci sextantem, uel trienti quadrantẽ, efficies septuncem, hoc est, septem duodecimas. Si septunci applicueris unciam, uel semissi sextantem, uel quincunci quadrantem, uel trienti tantũdem, facies bessem, id est, duodecimas octo. Si bessi applicueris unciã, uel septunci sextantem, uel semissi quadrantẽ, uel quincunci trientem, dodrantẽ efficies, hoc est, nouem duodecimas. Si dodranti applicueris unciã, uel bessi sextantem, uel septunci quadrantem, uel semissi trientẽ, uel quincunci tantundẽ, facies dextantẽ, hoc est, decẽ partes duodecimas. Si dextanti applicueris unciam, uel dodranti sextantem, uel bessi quadrantem, uel septunci trientem, facies deuncem, hoc est, undecim duodecimas. Ex his apparet in quas partes æqualiter, in quas dispares as diuidatur. Hæc ille. Eadẽ planè tradit Balbus ad Celsum. Sed horum nominum etymologiam Varro explicat libro quarto de lingua latina his uerbis, Vncia ab uno. Sextans ab eo q. sexta pars assis, ut quadrans quòd quarta, & triens tertia pars, semis

quòd

quòd semis, id est, dimidium aßis, ut suprà dictum est. Septunx à septem & uncia conclusum, reliqua obscura, quòd à diminutione, & ea quæ diminuuntur ita sunt, ut extremas syllabas habeant, ut à decẽ una dempta uncia deunx, dextans dempto sextante, dodrans dempto quadrante, bes ut olim dempto triente. Hactenus Varro. Hæc libræ diuisio est, cuius usus pro pondere adeo frequens est in medicina, ut exemplis ueterum rem cõfirmare nihil opus sit. Selibræ uerò uocabulo utitur Liuius libro quinto ab urbe cõdita, Cui uniuersi selibras farris et quartarios uini ad ædes eius, quæ in arce erãt, contulerunt, et Celsus libro quinto capite decimooctauo, Cerati eloti, quod πεπλυμένον Græci uocant, selibram. Semis quoque pro eodem pondere usurpant, idẽ Celsus capite XIX. in emplastro quod exest corpus, Ceræ, resinæ terebinthinæ, thuris, olei ueteris, atramenti sutorij, salis ammoniaci pondo semis. Scribonius Largus cõpositione CCLXVI. Ammoniaci pondo libram, thuris pollinis pondo semis, galbani pondo semis. Dextans sic quoque in usu est, idem compositione CCIII. Cum olei ueteris pondo dextante liquefacta ab igne, mortario super infundũtur. Et Dodrans. Columella libro sexto capite sexto, Si nec hæc profuit res, caprifici aridæ conteruntur, & cum dodrante aquæ calidæ dantur. Et bes. Celsus in emplastro, cuius iam mentionẽ feci, Aeruginis rasæ pondo bessem. Atque quincunx. Columella libro duodecimo capite uigesimooctauo, Item odoramenta trita, id est, irim cribratam, quæ sit

instar pondo quincuncem et trientem, fœni græci pon do quincuncem et trientem, schœni pondo quincuncem in unum permiſceto. Triens præterea. Largus ibidem, Aeruginis raſæ pondo trientẽ. Quadrans etiam. Celſus in deſcriptione catapotij ad thoracis dolores finiẽdos, Reſinæ terebinthinæ quadrans. Quin & ſextans. Largus compoſitione CCVI. Myrrhæ, galbani, aloës pon do ſextantem. Sic cæteris uti poſſumus. Hæc autem idcirco adieci ut à noſtris medicis in mixturis deſcri bendis reuocentur in uſum, alioqui ſunt ſatis obuia. Sequitur uncia, quæ in medicinæ uſu crebrior eſt, quàm ut ullo teſtimonio egeat. Iuuenalis etiam uſurpat pro pondere ſatyra ſexta,

adeo nulla uncia nobis
Eſt eboris.

Seſcuncia, quæ octaua pars eſt libræ, ſiue quarta ſe miſſis utitur Celſus in malagmate Euticlei, Galbani ſi ne ſurculis ſeſcunciam. Et Largus compoſitione CCX. Olei cyprij pondo ſeſcuncia. Huius ſeſcunciæ dimidia nomine caret, ſed ut illa quarta ſemiſſis, ita hæc eſt o ctaua. De uſu partium libræ ſatis. Ipſius uerò unciæ prima diuiſio eſt in duas ſemuncias, quod uocabuli com poſitio indicat: & Varro libro quarto ſcribit, Semun cia quod dimidia pars unciæ. Voluſius etiam ait, Vnciæ prima diuiſio fit in duas partes dimidias, quæ uocantur ſemunciæ. Vtitur uerò ea Columella capite ultimo libri duodecimi, Quòd ſi etiam cĩ laſer non habueris, pro ſylphio mellis adijcies pondo ſemunciã. Altera diuiſio

unciæ

unciæ est in tres binas sextulas, unde scribit Volusius, Item diuiditur uncia in tres partes, quæ uocantur binæ sextulæ, sunt autem scriptula octo. Cæterum binæ sextulæ dicũtur et Duella, quod Fannius hoc uersu explicat, Sextula cum dupla est, ueteres dixere Duellam.

Sed quod duella uel binæ sextulæ authoribus medicinæ in usu sint, hactenus non inueni: quod uerò ponderа fuerint ex Fannio clarum esse potest. Tertia unciæ diuisio est in quatuor sicilicos, de quo sic Volusius scribit, Item diuiditur uncia in quatuor siciliquos, id est, quatuor quartas. Sicilicus itaq; duarum est drachmarum. Festus in neutro protulit, cum ait, Sicilicum dictum quod semunciam secet. Huius usum in pondere fuisse indicat hoc Fannij carmen, quo simul & pondus ipsius explicatur,

Drachmam si gemines, aderit quem dicier aude
Sicilicus.

Vtitur quoq; Scribonius Largus Cõpositione CXLV. Croci pondo sicilici quinq;, apij semunis pondo sicilici sex: licet ibidem notis scriptum sit, quas infra explicabo. Quarta unciæ diuisio est in sex sextulas, quod Volusius declarat hisce uerbis, Item in sextulas sex, id est, sex partes. Sunt uerò quatuor scriptula. Quin etiã Fannius id confirmat scribens,

Drachmæ scrupuli si adiectio fiet
Sextula quæ fertur: nam sex his uncia constat.

Neque huius usum in medicina reperi, pondus uerò esse uel ex Fannio liquet. Est quinta unciæ diuisio in

septem denarios Romanis medicis in primis usitata, quod maxime testibus est probandum, sed prima ueniat in medium Celsi authoritas, quæ medicis nota est, aut certe, ob præcipuos artis scriptores, esse debet. Is ait libro quinto capite decimoseptimo, Sed & antea sciri uolo in uncia pondus denariorũ septẽ esse, deinde Scribonij Largi, ex quo idem intelligitur, cũ inquit in præfatione, Erit autem nota denarij unius pro Græca drachma, æque enim in libra denarij octogintaquatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrũt. Hæc ille. Si octoginta quatuor denarij constituunt libram, libra uerò diuiditur in duodecim uncias, ut probauimus, quis non intelligit unciam denariorum esse septem? Accedat his Plinij testimonium scribentis libro trigesimotertio capite nono, Miscuit denario triumuir Antonius ferrum, miscuit æri. Alij è pondere subtrahunt, cum sit iustum octogintaquatuor è libris signari. His testibus satis probatum arbitror librã Romanis esse denariorum octogintaquatuor, unciam uerò septem. Sexta & ultima unciæ ponderalis diuisio est in uigintiquatuor scriptula, de qua sic ait Volusius, Item in scriptula uigintiquatuor. Idem pòst inquit, Præterea dimidium scriptulum audio quosdam ratiocinatores Simplum uocare, quod erit totius assis quingentesima septuagesimasexta. Scriptulo autem medici ueteres raro utuntur, iuniores frequenter, alij scriptores interdũ. Plinius libro trigesimotertio capite tertio, Aureus nũmus post annũ sexagesimum secundũ percussus

cussus est, quàm argenteus, ita ut scrupulũ ualeret sestertijs uicenis, quod efficit in libras, ratione sestertij qui tunc erat, sestertios nongentos. Et Columella libro duodecimo capite uigesimotertio, At si ex eadẽ pice totam uindemiam condire uolueris, ita ne gustus picati uini possit intelligi, sat erit eidem sex scrupula in sextarios quinque & quadraginta. Idem capite uigesimooctauo, Tum in serias singulas, quæ sint amphorarũ septenũm addito medicaminis pondo unciam, & scrupula octo gypsi. Hactenus de diuisione unciæ. Sequitur denarij. Is itaque pro pondere secatur primo in duos uictoriatos. Pro uictoriato autem olim dicebatur quinarius. Hinc Volusius scribit, Victoriatus enim nunc tantũdem ualet, quantum quinarius olim. Et paulò pòst, Denarius primo asses decem ualebat, unde & nomen traxit. Quinarius dimidiũ eius, id est, quinque asses, unde & ipse uocatur. Victoriatus uerò cur sit dictus, explicat Plinius libro trigesimotertio capite tertio his uerbis, Qui nunc uictoriatus appellatur lege Clodia percussus est. Antea enim hic nũmus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria, et inde nomen. Hæc ille. Victoriato frequentissime pro pondere utitur Scribonius Largus, at Celsus maluit semis denarij loco eius scribere, ut libro quto capite XVIII, in malagmate Medi, Panacis p. ✳ semis. Iterum, Plumbi combusti. p. I. ✳ & semis. Deinde diuiditur denarius in sex sextantes, quod præter Celsum nemo explicauit. Hanc autem diuisionem fecit, quòd Græcis uti nol-

let, ijs enim drachma in tot obolos diuiditur, in quorum locum substituit sextantes. Vt enim Greci habent drachmam nummum argenteum, ita Romani denarium: cum autem altero pro altero uellet uti, & denarius relatus ad pondera Romana grauior esset tribus scriptulis, sextantes excogitauit. Nos igitur cogitemus denariũ in XII. partes, ut assem in XII. uncias diuidi, ex illis duæ partes dicũtur sextans, perinde ut duæ unciæ assis. Erunt itaq; sex sextantes in denario, quot in libra inueniuntur. Sed audiendus est Celsus, cuius uerba sunt libro quinto capite decimoseptimo, Vnius deinde denarij pondus diuidi à me in sex partes, id est, sex sextantes, ut idem in sextante denarij habeam, quod Græci habent in eo, quem ὁβολὸν ἐρ adpellant, id ad nostra pondera relatũ paulò plus dimidio scriptulo facit. Sic Celsus. Hæc itaq; diuisio nemini alij in usu est. Sic utitur sextante libro quinto in priori emplastro exedẽte, Resinæ terebinthinæ, fuliginis thuris, singulorum pondo ℈ Z, id est, pondo denarij sextans. Sed idẽ signum etiam est apud eum sextantis libræ, quare diligenter aduertendum ne similitudine uel uocis uel notæ decipiamur: possumus uerò ab errore nobis cauere cõpositionum naturã considerantes. Sic quoq; utitur quadrante libro quarto capite quarto, Aut sulphuris ignẽ non experti pondo ℈ & quadrans, abrotani pondo ℈ in uini cyatho teruntur. Sic deniq; triente libro quinto in malagmate ad strumã & tubera & carcinodas, Salis ammoniaci. p. 3. id est, põdo triens. Accipio uerò quadrantem

quadrantem tres partes duodecimas: trientem, quatuor, ut sextantem duas. Sed de his satis. Ita se habent pondera Romana. Si itaque maiora in minora resoluero, ad tertiam propositi partem ueniam. Libra diuiditur in has partes æquas, in semisses II. *trientes* III. *quadrantes* IIII. *sextantes* VI. *sescuncias* VIII. *uncias* XII. *In has uerò dispares, in deuncem & unciam, in dextantem & sextantem, in dodrantem & quadrantem, in bessem & trientem, in septuncem & quincuncem. Rursus libra, quod attinet ad alia minora pondera, secatur in has æquales partes, in semuncias* XXIIII. *duellas* XXXVI. *sicilicos* XLVIII. *sextulas* LXXII. *denarios* LXXXIIII. *uictoriatos* CLXVIII. *scriptula* CCLXXXVIII. *Selibra siue semis diuiditur in quadrantes* II. *sextantes* III. *sescuncias* IIII. *uncias* VI. *semuncias* XII. *duellas* XVIII. *sicilicos* XXIIII. *sextulas* XXXVI. *denarios* XLII. *uictoriatos* LXXXIIII. *scriptula* CXLIIII. *Aliæ partes libræ ex unciæ diuisione facile poterint colligi, quam subijciam. Vncia secatur in semuncias* II. *duellas* III. *sicilicos* IIII. *sextulas* VI. *denarios* VII. *uictoriatos* XIIII. *scriptula* XXIIII. *Semuncia dissecatur in duellam cum dimidia, sicilicos duos, sextulas tres, denarios tres cum dimidio, uictoriatos septem, scriptula duodecim. Duella diuiditur in sicilicum unum & eius tertiam partem, sextulas duas, denarios duos & eius tertiam, uictoriatos quatuor cum dimidio & tertiam dimidij, scriptula octo. Sicilicus secatur in denarium unum cũ*

dimidio

dimidio & eius quartam, uictoriatos tres cum dimidio, scriptula sex. Sextula dissecatur in denarium & sextã eius partem, uictoriatos duos, & tertiam eius scriptula quatuor. Denarius diuiditur in duos uictoriatos, scriptula tria et tres septimas scripturi, sextantes Celsi sex. Victoriatus diuiditur in scriptulum unum cum dimidio & tres decimasquartas scripturi. Scriptulum autem diuidere nunc omittam, quia melius Græcis ponderibus declaratis intelligetur eius diuisio: respondet enim planè Romano scriptulo Græcorum γράμμα. Nec reliqua pondera præter denarium in sextantes Celsi diuidere uolui, quòd ipsi soli sint in usu. Nunc ad tertiam propositi partem ueniam serie consueta. Romanos magnarũ rerum pondera per libras uel pondo, quod idem est, explicare solitos, quia dixi, obijciet mihi quispiam Vitruuium uti talento pro pondere, cum scribit libro decimo capite trigesimoprimo, Erigebatur autem machina in altitudinem ad disijciendum murum circiter pedes centum. Item à latere dextra ac sinistra procurrendo perstringebat non minus pedes centum. Gubernabant eam homines centum, habentem pondus talentûm quatuor millium, quod fit quadringẽta LXXX. millia pondo. Sic ille. Atque utitur quidem talenti uoce, & recte de rebus Græcis loquens: multo uerò etiam rectius explicãdo quot pondo efficerent tot talenta, ad Romanam loquendi consuetudinem redijt: explicauit autem & idcirco q. Græcis talenta sint admodum diuersa: hoc uerò quod ipse declarat habet centum uiginti pondo. Sed idem di-

cet

cet Liuium usum talenti nomine de rebus Græcis minime loquentem, cum ait libro ab urbe condita primo, Successamq; Pometiam ex his ui cepit, ubi cum diuendita præda quadraginta talenta argenti auriq; recepissent. De re quidem nummaria loquens Liuius, utitur nonnun quàm talenti uoce, meo iudicio Atticum intelligens, nisi aliud nominatim exprimat, qua de re in Græcis plura dicam. Alioqui cum pondus indicare uult, ferè seruat Romanum loquendi morem, ut libro septimo, Neque ita rei gestæ fama se Italiæ finibus tenuit, sed Carthaginenses quoque legatos gratulatum Romam misere cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur, fuit pondo uiginti quinque. Idem lib. decimo, Argenti quod captum ex urbibus erat, pondo mille CCCXXX. Sic Liuius. Latini igitur si utuntur talenti nomine, maxime pro pondere, quasi semper aut aliqua transferunt è Græcis, aut alioqui de rebus Græcorum loquuntur. Romanum enim pondus minime fuit. Sequitur iam libra siue pondo, quæ idem significare probauimus, quamobrem errauit Perottus uir non indoctus, scribens pondo proprie significare XII. libras his uerbis, Et pondo, quod licet aliquando pro libra inueniatur, propriè tamen significat pondus duodecim librarum, & indeclinabile est. Liuius, Argenti pondo bina & sex libras in militem præstaret. Nec caret singulari, ut nonnulli existimant: sed sic pondo pro duodecim libris dicimus, ut assem pro XII. uncijs. Hæc Perottus, qui cum id non probauerit, uidetur

coniecisse

conieciſſe ex Liuij loco quem adducit, ubi poſt pondo bina ſcriptum erat et ſex libras, ex quo maius quiddam eſſe pondo coniecit. Verum codices Liuiani emendati, habent ſelibras, & ſic debere legi uerbis Plutarchi in Fabio de eadem re ſcriptis eruditè probat Budæus, quem ante me hunc errorem in ſecundo de Aſſe detexiſſe ingenuè fateor, ne gloriam alieno labore partam, in me transferre uoluiſſe iure dicar. Sed idem Budæus teſtimonijs in ſpeciem claris & euidentibus contendit libram, pondo, minam idem eſſe. Cum autem mina Attica ſit centum drachmarum, ut libro ſequenti probabimus, Romana uerò libra octoginta quatuor denariorum, ut ex Plinio & Celſo & Largo oſtendimus, primo intelligitur denarium & drachmam Atticam eiuſdem ponderis non fuiſſe: quod tamen, authoritate ſcriptorum fretus, aſſerit: deinde ut fuerint maxime, nemo certe è bonis authoribus dixit, unciam plurium drachmarum quàm octo fuiſſe. Igitur libra erat tantum nonaginta ſex drachmarum, quia ſolum duodecim unciarum, cum mina Attica fuerit ſine controuerſia centum. Vt autem Budæus ſententiam quæ illi ſemel placuit retineat, ſine ullius teſtimonio ait, libram duodecim eſſe unciarum & ſemunciæ. Scribit enim ſic in ſecundo de Aſſe, Hæc eſt exacta libræ ratio, tamen ſemunciam addere nos oportet, cum libra in ratione nummaria cum Græca exæquata ſit, et plane ſit centenaria. Erit ergo libra Latina nõ modo ſeſqualtera noſtræ libræ, id eſt, ſeſquilibra noſtra, ſed etiam præterea quatuor drachmas habuiſſe intelligitur

intelligitur. Idem in principio libri tertij inquit, Etenim cum duodenæ sint unciæ in libra Romana & in uncia quaterna & uicena scrupula, fiunt in asse scrupula du centa octoginta octo: est enim scrupulum ducentesima octogesimaoctaua pars assis, ut inquit Columella. Hæc recte, & præter Columellam idem clare dicit Volusius Metianus & Balbus ad Celsum. Pergit Budæus, Si ergo scrupulum auri uicenos sestertios ualet, & uicenario numerum illum multiplicemus, fiet summa quinque millia septingenti sexaginta sestertij, quibus si semunciam addamus, ut sit libra centenaria quam ante instituimus, fient sex millia sestertiũm. Sic ille. Ex quibus intelligis eum libram, quam eandem putauit cum mina primo centum drachmarũ constituisse, tum necessitate quadam duodecim unciarum & semunciæ. Quòd uerò denarium & drachmam idem arbitretur esse, liquet ex his uerbis quæ sunt in primo de Asse, Drachma igitur non modo pondus denarij Romani, sed etiam nummum significat eodem pondere percussum ab Athenien sibus. Et libro secundo, At denarium & drachmam eundem fuisse nummum, aut eiusdem certè ponderis & æstimationis, authore Plinio, demonstratum est. Hæc Budæus. Cætera quisq; per otiũ legat. Sed libram & minã idem pondus non fuisse satis indicat Dioscorides, qui nunc libræ, nunc minæ uocabulo tanquam diuersis ponderibus utitur, & Galenus apertè dicit differre, ut libro sequenti explanabo. Erat enim mina Attica quatuor drachmis grauior libra Romana. Budæus autem non sine causſa

ARCHIVIO VENETO VENEZIA

in

in hanc sententiam uenit, sed quia uisus est sibi satis probasse denarium et drachmam Atticam idem pondus habere: quòd Plinius scribat libro uigesimoprimo capite ultimo, Drachma Attica, ferè enim Attica obseruatione medici utuntur, denarij argentei habet pondus. Et Græci sic transferant Romana, ut in locum denarij, aut quatuor sestertiûm semper substituant drachmam, ut Plutarchus, ac medici. Contrà Latini, pro drachma Attica denarium, ut Aulus Gellius & Festus Pompeius, ipse etiam Liuius libro XLIIII. ab urbe condita, Polybij locum recensens. Tum quia Plinius minam uertit librã. Quum tot igitur & tantis testibus etiam in quauis re non indecore errauerit quispiam. Hæc autem omnia ijsdem authorum uerbis repetere nimis longum esset, neq; necessarium, cum quisq; in Budæo ea legere possit, & nos consentiamus sic ab ipsis fuisse scripta. Quid igitur dicet quis? nónne istis concessis quod uult efficit Budæus? Minime, nam concedo quidẽ authores sic solitos transferre, non tamen do eadẽ prorsus pondera fuisse. Verũ Græcos arbitror, quia nullũ haberẽt pondus siue numisma, quod exactè responderet denario, per id quod proximũ esset, ac non multo leuius, nẽpe septima tantũ parte, drachmã reddidisse. Quod quid mirũ Plutarchum fecisse? cum iadẽ pro quartario sextarij, quartam cotyles uerterit? inter quas mensuras longe maius discrimẽ est, q̃ inter drachmæ et denarij pondus. Contrà Latini ipsi, quia octaua unciæ pars apud eos nomen nõ habet, nisi cum Balbo ad Celsum drachmã appellare uelis, uerterũt denarium

denarium. Sic Plinius dicit drachmam Atticam denarij argentei pondus habere, ubi, ferè, erat dicendum. Sic etiam minam libram reddit. Quòd enim exacte neq; drachma Attica denarij habeat pondus, neque libra Romana Atticæ minæ, ex eiusdem uerbis non obscure intelligitur, ait nanq; capite suprà citato, Mna quam nostri Minã uocant pendet drachmas Atticas centum. Hæc uere scripta nemo negabit. Idem lib. 12. capite XIIII. de thure scribit, Micas concussu elisas Mannã uocamus, etiãnum tamen inueniuntur guttæ, quæ tertiã partẽ minæ, hoc est, uigintinouẽ denariorum pondus æquent. Sic legitur in exemplaribus correctis, et Budæus se duo manu scripta uidisse ait, in quibus ita legatur, et uera lectio est. Nã Plinius quia hic medica nõ transfert, ubi nõ nisi multo resoluendi negocio drachmam aliter q̃ denariũ, et minam q̃ libra uertere posset, recte declarat, Minæ tertiam partẽ esse denarios nouẽ & uiginti. Tertia enim est drachmarum trium & triginta atq; scripturi. Iam unciam esse septem denariorum Celsi, Plinij, Largi testimonio probaui, drachmarum uerò octo esse mox ostendam. Igitur si rationẽ ineas, septem denarios pro octo drachmis colligens, duæ et triginta drachmæ fient octo & uiginti denarij: reliqua uerò est drachma et scripturũ: ea itaq; drachma & tres septimæ scripturi efficient iterum denarium, remanent autem quatuor septimæ scripturi: ex quibus cum nec denarium, nec dimidium Plinius conficere posset, sed sextã tantum denarij partẽ, rationem earum nullam habuit. Plinij ergo locus ille consentiens

sentiens cum altero, ubi libram scribit quatuor & octoginta denariorum esse, satis declarat ita se rem habere, præsertim cum accedant etiam aliorum testimonia. Solet itaque tum solum denarium pro drachma ponere cum medica transfert, quod & cæteri fecere. Quin etiã Appianus idem Græce referens quod Suetonius Tranquillus de Cæsare scribit, differentiam hanc inter drachmam & denarium mihi uidetur agnouisse. Tranquillus inquit, Populo hortos circa Tyberim publicè, & uiritim tricenos sestertios legauit. Sic ille. Quum igitur quatuor sestertij efficiant denariũ, erunt denarij quinq; & septuaginta. Appianus in secundo bellorum ciuilium interprete P. Candido ait, Populo horti trans Tyberim præbiti, singulis Romanorum ciuibus qui in urbe aderant quinq; & octoginta drachmæ Atticæ collatæ. Ita ille. Septuaginta nãq; denarij sunt octoginta drachmæ: quod uerò ad quinque reliquas drachmas adiectum oportuit, quia drachma fieri non poterat, omisit. Locus itaque non est, ut Budæo uidetur, deprauatus, sed magna quidem diligentia scriptus ab Appiano, licet idem alias drachmam leuiorem adhuc, ut mox ostendam, fecerit. Plutarchus autem idem Tranquilli more suo reddit. Præterea ex Liuij uerbis clare intelligitur denarium Attica drachma esse grauiorem, is sic scribit libro quadragesimo quarto ab urbe condita, Signati argenti octogintaquatuor milia fuere Atticorum, tetradrachma uocant, trium fere denariorum in singulis argenti est pondus. Vides ut uir ille summus in historia

Romana

Romana aduertit non idem pondus esse Atticæ drachmæ et denarij. In tetradrachmo ergo, id est, quatuor drachmis ferè esse dicit triũ denariorum pondus. Tres enim denarij faciunt tres drachmas Atticas, & remanent superfluæ tres septimæ unius denarij, qua de re Liuius rectè addit, fere, nam quatuor drachmas integras non efficiunt. Hoc satis sit etiam ex Liuio perspicuum esse, denariũ & drachmam idem pondus non habere. Tum etiam Appianum apparet alio loco probasse hanc sententiam, tres denarios ualere pondere tetradrachmum. Suetonius enim scribit in Cæsare, Trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat uiritim diuisit, de eodem Appianus sic, interprete Candido, Singulis ex populo minam unam Atticã dedit. Sic ille. Trecenti namque nummi efficient quinque & septuaginta denarios, pro quibus dixit minam Atticam centum drachmarum, ut semper tres denarij tantum ponderent & ualeant, quantum quatuor drachmæ. Nam hæc de ueteri mina Attica, quæ in usu esse desijt, intelligi, ut uult Budæus, non possunt. Sed & Cleopatra nõ minus ostendit denariũ drachma Attica esse grauiorẽ, quæ, quemadmodũ ex semioboli interpretatione intelligitur, duas drachmas, ut taceam de Alexandrina, cõstituit: alteram, quã eandem esse asserit cum denario Italico, sic Romanum uocat: alterã Atticã, ut ex eius uerbis intelligi potest. Prioris obolum dicit æreola habere octo, semobolum quatuor, cũ quo deinde Atticæ drachmæ semobolum conferẽs, ait ipsum quatuor quintas alterius semi-

boli continere. Denarius igitur ipsi quinta parte grauior est drachma Attica, cum utrũq; in duodecim semiobolos diuidat. Sed audiamus uerba Cleopatræ, ἡ δραχμὴ ἔχει γράμματα. γ̄. ὀβολοὺς. ϛ̄. λεξμοὺς. θ̄. κεράτια. μ̄η̄. χαλκοῦς. μ̄η̄. ὁ δὲ ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὰς. ᾱ. Id est, Drachma habet scriptula tria, obolos sex, lupinos nouem, siliquas decem & octo, æreola quatuor & quadraginta, italicus denarius habet drachmam unam. Paulò pòst ait, ὁ ἡμιώβολον ἔχει κεράτιον. ᾱ̄ϛ̄. χαλκοῦς. δ′. Id est, Semiobolus habet siliquam unam cum dimidia, æreola quatuor. Hæc de semiobolo drachmæ, quam dicit idem ualere cũ denario. Mox addit, ὁ δὲ ἀττικὸν δὲ ἡμιώβολον τοῦ ἡμιωβόλου τέταρτα πέμπτα. Id est, Atticus autem semiobolus alterius semoboli habet quatuor quintas. Perspicuum igitur est etiam ex Cleopatra denarium Romanum Attica drachma esse grauiorem. Drachmas autem octo Atticas cõprehendi in uncia Romana, tametsi Plinius satis propemodum explicet, cum minæ tertiam partem dicit denarios esse nouem & uiginti, & cum è libra octogintaquatuor denarios signari ait, tamen quò res magis confirmetur afferamus uersus Fannij, quibus asserit unciam drachmarum Atticarum esse octo. Sunt uerò hi,

In scrupulis ternis drachmam, qua pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis.

His declarat drachmam Atticam, mox uerò id quod uolumus addit,

Vncia

Vncia fit drachmis bis quatuor.

Cum Fannio concordat maxima pars Græcorũ mediorum. Qui uerò dissentiunt, dicunt unciam esse drachmarum septem, per drachmam sine dubio denariũ intelligentes: unde uerbis magis q̃ re discordant, ut libro sequenti declarabo. Balbus quoq; de agrimensoria ad Celsum idem asserit inquiens, Semuncia quidem est medietas unciæ, duella tertia pars, sicilicus quarta, sextula sexta, drachma octaua. Ego cũ plurimis consentiẽs, drachmas octo idem põdus habere censeo, quod habent septem denarij, atque sic denarium drachmam esse unam & præterea septimam ipsius partem: licet Cleopatra grauiorem faciat, nempe ut septem denarij efficiant octo drachmas Atticas & tres quartas drachmæ, cum qua Liuius consentire uidetur, nisi quod ex talenti magni explicatione, de qua sequenti libro dicam, paulò minorem feciſſe aduerti potest. Cleopatra tamen ubi minam Atticam explicat æque ac cæteri unciã octo drachmas Atticas capere ostendit. Quamobrẽ drachma Attica unciæ Romanæ pars octaua fuit, aut si paulò leuior, qua de re non cõtendo, minime authores curarũt. Vt prorsus appareat ipsam quoque differentiam quæ est inter denarium & drachmã alium alio diligentius expendisse, imo unum & eundem authorem nunc pro eisdem, nunc pro diuersis posuisse. Ex dictis tamen si quis aduertere uelit, non obscure intelliget primo drachmam & denariũ eiusdem ponderis non fuisse, deinde septem denarios efficere unciam, postremò eandem

drachmarum esse octo. Quamobrem non admodũ nos mouere debent, ut aliud sentiamus, tam Græci quàm Latini interpretes uertẽtes alterum pro altero, quasi prorsus eadem sint: quoniam alias etiam, persæpe cum rerum uel maior est diuersitas, ob uocabulorum inopiam ipsos idem egisse constat, de quo, ne longius quã æquũ sit à proposito euagemur, hic plura dicere nõ libet. Sed obijciet mihi quispiam denarios diuersi ponderis à Romanis fuisse percussos, atque de leuioribus intelligendum cum dicitur, drachmam & denarium idem pondus habere. Cui respondeo, qui leuiores percusserunt, fraude & dolo id fecere non minus quàm Antonius, qui uilius metallum miscuit argento. Fuerunt itaque eiusmodi denarij aut non iusti aut adulterini. Sed iusti ponderis denarios è libra signari quatuor & octoginta asserit Plinius, & Græci scribentes minam esse centũ drachmarũ Atticarũ dubio procul drachmas iusti ponderis intelligunt: quocirca ista obiectione mea sententia non infringitur. Porrò Scribonius Largus tametsi recte scripsit, libram esse Romanis octogintaquatuor denariorũ, tot tamen Græcis drachmarum esse inquiens, à uero aberrauit, ut sequenti libro declarabo: nisi quis more eorum, quod uerisimile est, locutum credat, qui quia transcripserunt Romana medicamenta in Græcam linguam, unciam dixerunt esse septem drachmarum, per drachmam denarium intelligentes, quod ibidem uberius explicabo. Id ipsum tamen Budæi sententiam, quæ est libram Romanam & Atticam minam idem esse, minime

nime confirmaret. Ad Alciatum uenio qui mecũ nonnihil sentit: scribit enim, Quapropter Plinius cum apud scriptorem Atticũ minam reperit, uertit simpliciter libram: minimum enim libra nostra & Attica mina differunt, nimirum quatuor solis drachmis. Hæc recte. Sed idem fallitur in eo quòd unciam putat denariorum esse octo apud Romanos, quia Græcis sit drachmarum octo, idem pondus arbitratus denarij et drachmæ. Verba eius sunt, Merito ergo Cornelius Celsus libro quinto capite decimoseptimo, in uncia Græca pondus septẽ denariorum esse tradit, cum alioqui Latina & Attica uncia denarios habeat octo. Sic ille. De Græcis hic nõ disseram. Cornelium Celsum Romano more locutum, satis clarum est ex Plinio & Largo, tum ex ipso: adeo enim Græcis ponderum nominibus noluit uti, ut ne obolo uti cogeretur denarium in sextantes diuiserit, ait enim, Sed & antea sciri uolo in uncia pondus denariorum septem esse. Vnius deinde denarij pondus diuidi à me in sex partes, id est, sextantes, ut idem in sextante denarij habeam, quod Græci habent in eo quem ὀβολὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum paulo plus dimidio scriptulo facit. Ita Celsus. Et rectissime postremum adiecit, nam sexta pars denarij grauior est dimidio scriptulo, siquidem tria scriptula sunt octaua pars unciæ, denarius uerò septima, sexta itaq; pars denarij dimidio scriptulo grauior est septima ipsius dimidij scripturi parte. Cũ ergo uellet denarium diuidere in sex partes, ut Græci diuidũt in sex obolos drachmã,

ac denariũ sciret grauiorẽ esse tribus scriptulis, nouam diuisionẽ uidetur cõfinxisse. Non tamen obolus ille Græcus et sextans denarij eiusdẽ sunt ponderis, ut nec drachma, sed diuisionis similis gratia magis hæc scripta accipio. Nisi quòd Celsus potuerit hoc tradere medicos Græcos imitatus, qui cũ Romæ libros scriberẽt de medicamentis, drachmam pro denario usurparunt, tantũmodo septem, ut erant, in uncia numerantes. Quòd autẽ dicit ad nostra põdera relatũ, uidetur indicare Romanis massas paruas fuisse, quibus ponderarent, quæ assi atque eius partibus grauitate responderent. Denarius uerò argenteus, quo pro pondere utebãtur medici, quia septima unciæ pars, eius sextans grauior extitit dimidio scriptulo. Sin autem Celsus sic non sensisset, sed omnino putasset drachmã & denariũ idem pondus habere, non minus fuisset deceptus ac alij. Cæterum quòd una tantum uncia fuerit eiusdẽ ponderis tam Græcis q̃ Romanis, utrisque tamen in sua minora pondera diuisa, mox in Græcis fusius exponam, nunc ad Portium ueniam, qui & ipse putat drachmam & denariũ eiusdem ponderis fuisse, inquit enim, Et denarios pondere drachmæ in frequẽtiori usu fuisse, quos ut asses uariante tempore mores, uario pondere signatos, & tandem ad imitationem Atticorũ in drachma resedisse opinor. Sic Portius. Hoc opinatur quod appendens denarios antiquos drachmæ pondere inuenerit, sed non æstimat id quod diuturnitate & usu de ipsis fuit detritũ: deinde non satis probat nostrã drachmam cum ueteri paris

esse

esse ponderis. Idem tamen quia diuersos denarios fuisse signatos ait, habere uidetur quo loca inter se pugnantia dissoluat. Sic ex Liuij loco una cum Prisciano Cæsarienſi denarium efficit quatuor scriptulorũ, cum id ex eo colligi non posit: addit enim, ferè, ne quis plane tres denarios idem pondus habere quod tetradrachmũ Atticum credat. Sẽtio itaq; ut iam dixi, authores non nisi de iusti ponderis denarijs locutos, & quidẽ argenteis. Sed de his plus satis. Perotti nanque ineptias omittam consulto. Verum denarium diuidi in duos Victoriatos ait Volusius, quem sum secutus. A nobis autem dissentit is, qui ponderum explicationem quandam adiecit Scribonio Largo quisquis fuit, inquit uerò, Victoriatus argẽteus erat nũmus uictoriæ nota signatus, pro quo, in compositionibus à Scribonio relatis, Galenus duos obolos ponit, hoc est, scriptulum. Sic ille. Et certe uidetur ita in quibusdam locis, sed sunt alij loci in quibus recte per τριώβολον reddit. Vt Scribonius Largus Comp. CLXX. scribit thlaspis ℥ pondo VI. & victoriati, opobalsami ℥ pondo VI. & victoriati. Galenus uerò in secundo πρὶ ἀντιδότων libro ὀποβαλσάμου, θλάσπεως ἀνὰ δραχμὰς ς'. ἢ τριώβολον. Id est, Opobalsami, thlaspeos singulorũ drachmas sex & triobolũ. Sic etiam in parte cõpositionis, quæ deest, ubi Galenus habet, τριώβολον, Ruellius medicus insignis et doctus eã cõpiẽs uertit recte uictoriatum. Quin etiam hoc argumẽto est, quòd Galenus ferè semper τριωβόλου pondere medicinas exhibet, quæ

conferunt tußi in tribus cyathis aquæ uel aquæ mulsæ. Largus autẽ eaſdem uictoriati itidẽ in tribus cyathis. Quare loca diſſidentia nihil probant, aut enim corrupte in alterutro ſcriptore leguntur: aut, quod ueriſimilius mihi uidetur, nõ ex hac prima ædit ione Largi, quæ nobis eſt in manibus, ſed ſecunda quã ſe promiſit æditurum, ſunt à Galeno uel ab alijs, quos ipſe citat, tranſcripta. Cuius rei indiciũ maximũ eſſe puto, quòd non paucæ ſunt cõpoſitiones nomine Scribonij Largi apud Galenũ, quæ in hac æditione deſiderãtur: deinde quòd ibidem pondera perſæpe quadrupla inueniamus: unde conijcio libellum ſecundo fuiſſe ab eo æditũ. Eſt igitur uictoriatus, dimidius denarius. Vltima autem unciæ diuiſio eſt in ſcriptula. De ſcriptuli itaq; uoce pauca quædam dicenda arbitror antequàm librum finiam. Voluſius legit ſcriptulum, ut ſit è Græco, quod eſt γράμμα, ſic etiam in Celſi peruetuſto exemplari inueni ſcripulum, & t librariorum incuria fortè erat omiſſum, ut facile fieri poteſt dum feſtinant. In Plinio & Columella legitur ſcrupulum, quod neſcio qua ratione dictum ſit, nam à ſcrupus ſcrupulus deducitur. In Fannij uerſibus reperitur prima correpta, ut in hoc,

Gramma uocant, ſcrupulum noſtri dixere priores.

Ego tamen malo per conciſionem legere ſcruplũ, quia Martialis primã producit libro quarto Epigrãmatum,

Ergo nec argenti ſex ſcrupula Septitiane
Miſſa.

Idem in decimo Epigrammatum,

Penſauit

Pensauit digitis diuq; mensa est,
Libras, scrupula, sextulasq; dicit.

Siue igitur ipse scriptulum quoque scripserit, siue deductum fuerit à scrupus, genere mutato primam recte produxit. Siquidem & scrupeum inde quoque deriuatum primam habet longam, quod indicat Vergilius in sexto Aeneidos,

Spelunca alta fuit, uastoq; immanis hiatu
Scrupea.

Terentius etiam diminutiui primam produxit hoc senario, qui est in Adelphis,

Inieci scrupulum homini. Sa. ô scelera, illuc uide.

De ponderibus Romanis satis, quorum notæ sunt apud Volusium, Probum, Celsum, Largum. Libræ quidem ℙ. Dupondij ℙℙ. Semißis S. Septuncis V. Beßis –S–. Dodrantis S ⊐ ⊢. Dextantis S ⊐ ⊐. Deuncis S ⊐ ⊢ ⊐. Trientis ⊐ ⊐. Quadrantis ⊐ ⊢. Sextantis ⊐. Vnciæ –. Sescunciæ ⅋. Semunciæ ⅋. Binarum sextularum ∇. Sicilici ⊃. Sextulæ ⌐. Scriptuli ꟻ. Denarij ⚹ uel ⚹. Victoriati siue quinarij ∀. Celsus denarij sextantem, ut & libræ hac nota signat Z. qua de re diligenter aduertendum, ne nòs notarum partes breuiores factæ, ut distinctiones uideantur, fallant, uel duæ in unam contractæ: nam & sextantis, ut iam dixi, talis est Z. & binarum sextularum huiusmodi 6. alij eandem bis scribunt, sine ulla, ut mihi uidetur, ratione. Inuenitur præterea quartæ partis semißis, quæ eadem est sescuncia,

hæc

hæc nota ⁝. Octauæ uerò, quæ sunt drachmæ sex, ista ⁝. quibus usus est Scribonius Largus. Postremo octauæ partis unciæ signum, hoc 3. quod nostrates drachmam significare uolentes hodie habent in usu. Tantum de notis.

GEORGII

AGRICOLAE LIBER QVINtus, de Ponderibus Græcis.

ROMANIS & pondera unius generis fuerunt, quia una respublica florētißima quidem illa, Græcis diuersa, partim q̄ ipsis multæ respublicæ nobiles & potentes fuerint, partim q̄ media nōnulla à Romanis quasi mutuo sumentes ac miscentes, cum Græcis propria constituerint. Hinc sunt quæ Medica & quæ Hippoiatrica nuncupamus: illinc Attica, Corinthia, Laconica, Aeginæa, Euboica, ac alia multa. Nos hic tractabimus primo Attica, deinde Medica, postremo Hippoiatrica. His enim potißimum medici utuntur. Siquidem alij Atticis, quorum è numero uetustißimi quique sunt. Alij Medicis, inter quos omnes ferè numerandi, qui uel Romæ medicinam exercuere, uel Romano imperio in Græciam prolato medicamenta composuere. Alij Hippoiatricis, ut mulomedicinæ scriptores, quos Veterinarios quoque Latini nominant. Tametsi non negarim medicos nonnullis alijs etiam ponderibus usos, ut nunc Alexandrina

drina. Quamobrem eos, qui ueterum compositiones legunt, diligenter considerare oportet, tum ipsius mixturæ uires, an inde conijci possit, quæ pondera intelligant, tum medicorum patriam, tum denique quo tempore, quibúsue in locis extra patriam scripserint. Si uerò quispiam magna quadam securitate medicamenta illorum composuerit, ac promissis non responderit effectus, non est cur conqueratur, cum ipse in culpa esse possit. Sed de his aliàs copiosius disserui. Nunc põdera sunt expendenda, atque primo Attica, τὸ τάλαντον μνῶν ὄξι ἑξήκοντα. ἡ δὲ μνᾶ ἔχει δύο μοιρῶν ἡμιμναῖα, ἕκα τὸν δὲ δραχμάς. ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολοὺς δύο. ὁ δὲ ὀβολὸς ἡμιώβολα μῆ δύο, ἓξ δὲ χαλκοῦς. ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτὰ ἑπτά. τὸ δὲ λεπτὸν ἀδιαίρετόν ὄξι. Quod est, Talentũ est minarũ sexaginta. Mina uerò duas quidem habet semiminas, centũ autem drachmas. Drachma obolos sex. Obolus duos quidem dimidios obolos, æreola uerò sex. Aereolum septem minutias. Minutia indiuisa manet. Ita se habent Attica pondera. Rursus igitur mihi onus probandi incumbit. Quòd talentum Atticum sit sexaginta minarum, asserit Iulius Pollux lib. nono, τοσογε μὴν οὐκ ἄκαιρον, ὅτι δὲ μῆ ἀττικὸν τάλαντον ἑξακισχιλίας ἐδύνατο δραχμὰς ἀττικάς. τὸ δὲ καβυλώνιον, ἑπτακισχιλίας. τὸ δὲ ἀιγιναῖον, μυρίας. τῷ δὲ συρῳ πεντακοσίας καὶ χιλίας, ὡς πρὸς τὸν ἀττικῆς δραχμῆς λογισμόν. ὥσπερ οὖν καὶ τὰς μνᾶς τὰς ἀττικὰς τὸ μὲν ἀττικὸν ἑξήκοντα εἶχε. τὸ δὲ καβυλώνιον ἑβδομήκοντα.

ἑβδομήκοντα. ἐν δὲ αἰγιναίῳ, ἑκατὸν ἥτ ἀνάλοτον. ἡ μνᾶ δὲ ὡς παρ' ἀθηναίοις ἑκατὸν εἶχεν δραχμὰς ἀττικὰς, οὕτω καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις τὰς ἐπιχωρίους, δυναμένας πρὸς λόγου τοῦ καθ' ἕκαστον τα λάντου κατά τε προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν, Id est, Hoc utiq; dicere non intempestiuum erit, quòd Atticum talentum sex millia drachmarum ualebat Atticarum. Babylonium uerò septem millia. Aeginæum, decem millia. Syrium mille & quingentas, iuxta Atticæ drachmæ rationem. Quemadmodum sane & Atticas minas Atticum talentum habuit sexaginta. Babylonium septuaginta. Aeginæum, centum iuxta proportionem. Sed mina ipsa ut apud Athenienses centum habuit drachmas Atticas, sic apud alios quoque ipsis consuetas, quæ pro ratione cuiusque talenti secundum augmentũ uel decrementum ualerent. Quibus uerbis aperte dicit, Atticum talentum sexaginta esse minarum. Sed idem nõ obscure intelligi potest è Xenophontis libro, qui πόροι, ἢ περὶ προσόδων inscribitur: unde etiam colligitur minam obolorum sexcentorum esse, qui constituunt centum drachmas, ut mox declarabo. Scribit itaque Xenophon, ἤν γε μέντοι τὸ πρῶτον συστῇ διακόσια καὶ χίλια ἀνδράποδα, εἰκὸς ἤδη ἀπ' αὐτῆς τῆς προσόδου ἐν ἔτεσι πέντε ἢ ἓξ μὴ μεῖον αὐτῇ ἕξα κισχιλίων γενέσθαι. ἀπόγε μὴν τούτου τοῦ ἀριθμοῦ ἢν ὀβολὸν ἕκαστος ἀτελῆ τῆς ἡμέρας φέρῃ, ἡ μὲν πρόσοδος ἑξήκοντα τάλαντα ἐνιαυτοῦ. Hoc est, Siquidem constituta fuerint primo mancipia numero

mille

mille et ducenta, ueriſimile ab ipſo uectigali annis quinque aut ſex non minus ſex millibus mancipiorum ciuitati parari. Huius autem numeri ſi ſinguli ſingulis diebus integrum obolum ferant, anni uectigal erit ſexaginta talenta. Cum enim annus habeat trecentos ſexaginta quatuor dies, ſi ſingulis diebus ſex millia mancipiorum ferant ſex millia obolorum, ferunt anno uno mille centum octogintaquatuor millia obolorum, quos ſi redegeris in minas, quarum quæque ſexcentos habet obolos, prouenient tria millia minarum, ſexcentæ & quadraginta, quæ ſexagenario numero collectæ ſexaginta talenta conſtituunt: uerum reliquæ ſunt quadraginta minæ, quas Xenophon quia integrum talentum efficere non poſſunt, non uidetur curaſſe, uel tantum trecentos ſexaginta dies anni in ſubducenda ratione ſumpſiſſe, ut quatuor tanquam ferias mancipijs futuros, aut malæ ualetudinis cauſſa, quæ ipſis accidere poſſet, omiſerit. Loquitur autem de Atticis, ſiquidem Athenienſibus conſulit. Sed dicet quis, hæc de talento nummario ſcripta ſunt, quot minarum erat ponderale? totidem, quod Diodorus apud Suidam declarat his uerbis, τάλαντον, ὡς φησι Διόδωρος ἐν τῷ περὶ σταθμῶν, μνῶν ὀξ. ἡ δὲ μνᾶ, δραχμῶν ρ. ἡ δὲ δραχμή, ὀβολῶν ἓξ. ὁ δὲ ὀβολός, χαλκῶν ε. ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ζ. Id eſt, Talentum, ut ait Diodorus in libro de Ponderibus, minarum eſt ſexaginta. Mina uero drachmarum centum. Drachma obolorum ſex. Obolus, æreolorum ſex. Aereolum minutiarum ſeptem. Sed dicit idem Diodorus non

non expreßisse quòd de Attico loquatur talento, quod etsi uerum est, omnia tamen quæ ibidem scripta sunt, nullis alijs ponderibus conuenire possunt, ut quilibet qui nostra diligenter legerit, intelliget. Sed & ipse Priscianus loquens de ponderali talento in libello de Ponderibus, clare quod uolo dicit his uerbis, Talentum Atheniense paruum minæ sexaginta. Præterea Fannius ait,

Cecropium superest post hæc docuisse talentum
Sexaginta minas, seu uis sex millia drachmas:
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis,
Nam nihil his obolóue minus, maiúsue talento.

Ex his itaque satis perspicuum est Atticum talentũ ponderale tot fuisse minarum, quot fuerit nummarium. Sic usus est talento pro pondere Xenophon libro κυρου παιδείας sexto, σκευῶν μὲν γὰρ βάρος ἀμφὶ τὰ εἴκοσι καὶ πέντε τάλαντα ἦν. Id est, Vasorum enim pondus erat circiter quinque & uiginti talenta. Idem libro ἀπομνημονευμάτων tertio, ὥσπερ εἴ τις ἓν τάλαντον μὴ δύναιτο φέρειν, πῶς οὐ φανερὸν, ὅτι πλείω γε φέρειν οὐδὲ ἐπιχειρητέον αὐτῷ; Hoc est, Quemadmodum si quis unum talentum ferre non poßit, qui manifestum non est, quòd plura ferre ne conari quidem debeat? Sequitur μνᾶ, quam centum drachmarum esse diximus, id rursum probandum. Diodorus quidem, cuius uerba iam retuli, clare dicit, sed magis etiam Cleopatra cum ait, ἡ ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβς'. < ρ̄. ϛ τ̄. ὀβολοὺς .χ̄. θέρμους θ̄. κεράτια ͵αω̄. χαλκοῦς ͵γχ̄. Id est

Attica

Attica mina uncias habet duodecim cum dimidia, drachmas centum, scriptula CCC. *obolos* DC. *lupinos* DCCCC. *siliquas* MDCCC. *æreola* $\overline{\text{III}}$DC. *Quod ipsũ ex Xenophontis eodem libro colligitur,* ὅτι νικίας ποτὲ ὁ νικηράτου ἐκτήσατο ἐν τοῖς ἀργυρίοις χιλίους ἀνθρώπους, οὓς ἐκεῖνος σωσίᾳ τῷ θρακὶ ἐξεμίσθωσεν, ἐφ' ᾧ ὀβολὸν μὲν ἀτελῆ ἑκάστῳ τῆς ἡμέρας ἀποδιδόναι, τὸν δ' ἀριθμὸν ἴσως ἀεὶ παρεῖχεν. ἐγένετο δὲ καὶ ἱππονίκῳ ἑξακόσια ἀνδράποδα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἐκδεδομένα, ἃ προσέφερε μνᾶν ἀτελῆ τῆς ἡμέρας. φιλημονίδῃ δὲ τριακόσια, ἡμιμναῖα. *Hoc est, Quòd Nicias Nicerati filius possederit aliquando in metallis argentarijs homines mille, quos ipse Sosiæ Thracensi elocauerat, ita ut singulis, diebus singulis obolum integrum daret, atque eum numerum forte semper exhibuit. Fuerũt & Hipponico sexcenta mancipia ad eundem hunc modum elocata, quæ integram minam afferebant in diẽ: Philemonidæ uerò trecenta, quæ semiminam. Hæc ille. Quum itaque sex oboli constituant drachmam, ut Diodorus & Cleopatra tradunt, liquet minã Atticam centũ drachmis perfici. Suidas quoque scribit,* ἑκατὸν δραχμαὶ ποιοῦσι μνᾶν μίαν. *Id est, Centum drachmæ faciunt minam unam. Postremo Plinius ex professo de Atticis ponderibus scribens, libro uigesimoprimo capite ultimo ait, Mna, quã nostri Minam uocant, pendet drachmas Atticas centum. Quin etiam Fannius inquit, Mnam uocitant, nostriq; minam dixere priores.*

Centum

Centum hæ sunt drachmæ.

Satis probatum arbitror minam Atticam centum esse drachmarum, & eandem ponderalem & nummariam. Porrò ἀπὸ τῆς μνᾶς fit μνααῖος, minæ pondus habens. Sic Xenophon λίθους μνααίους dicit, ἐν ἱππάρχῳ καὶ ἐν τῷ περὶ ἱππικῆς. Vnde pro pondere in usu fuisse intelligitur. Diuiditur autem mina in duo ἡμιμναῖα, id est, duas semiminas, quod ex Xenophõtis uerbis clarum est. Nunc sequitur δραχμὴ, quæ habet sex obolos, Diodoro, Xenophõti, Plinio, & alijs omnibus. Ait uerò Plinius loco cuius iam sæpe mentionem feci, Drachma Attica, ferè enim Attica obseruatione medici utuntur, denarij argentei habet pondus. Eadémque sex obolos pondere efficit. Suidas quoque scribit, δραχμὴ ἓξ ὀβολῶν Id est, Drachma sex obolorum. Superest ut ὀβολὸν explicemus. Is diuiditur in duos semiobolos. Semiobolum autem ipsi ἡμιώβολον appellant. Diuiditur & in sex æreola, quos χαλκοῦς nominant, quod Diodorus dicit, & præterea Suidas alio loco, ὀβολὸς παρὰ ἀθηναίοις ἕξ ἐστι χαλκῶν. Id est, Obolus apud Athenienses sex est æreolorum. Cleopatra quid sentiat, in Romanis declarauimus, χαλκοῦς uerò secatur in septem minutias, λεπτὰ uocant Græci, quod ex Diodori uerbis dilucidum est, & Suidæ qui scribit alibi, ὀβολὸς δὲ παρὰ ἀθηναίοις ἕξ ἐστι χαλκῶν. ὁ δὲ χαλκοῦς, λεπτῶν ἑπτά. Id est, Obolus quidem apud Athenienses sex est æreolorum. Aereolum uerò septem minutiarum. λεπτὸν autem, id

est, minutia, indiuisum manet. Sed Cleopatra diuidit etiã drachmam in tria scriptula, quæ ut forte fuerint Athenien sibus pro ponderibus in usu, non uidentur fuisse in re nummaria. Scribit enim loco scripturi Demosthenes δυοῖν ὀβολοῖν, cuius uerba sunt, ἀλλ' ἓν τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν ἐθεώρουν ἄν, εἰ μὴ τούτων ἐγγραφῆ. Eadem Cleopatra secat obolum in sesquilupinum & tres siliquas, de quibus alibi dicturus sum. Hæc autem quæ recensui Attica pondera fuere, quæ singula in munora diuidamus. τάλαντον diuiditur in minas LX. drachmas VI. obolos XXXVI. semiobolos LXXII. æreola CCXVI. minutias MDXII. μνᾶ diuiditur in drachmas C. obolos DC. semiobolos MCC. æreola IIIDC. minutias XXVCC. δραχμὴ diuiditur in obolos VI. semiobolos XII. æreola XXXVI. minutias CCLII. ὀβολὸς diuiditur in semiobolos II. æreola VI. minutias XLII. ἡμιώβολον diuiditur in æreola III. minutias XXI. χαλκοῦς diuiditur in minutias VII. quæ λεπτὰ dicuntur, & indiuisæ manent. Sequitur tertia huius sermonis pars, in qua obscura elucidare consueui: antequàm ergò ad talentum redeam hoc unum dicere uolo, Nullum ferè est ponderis genus tam Græcis q̃ Latinis, quo non & numisma uel summa quædã rei nummariæ significetur. Id ipsum in Latinis Volusium & Balbum legentibus, clarius conspicietur, q̃ ut ulla præterea probatione indigeat. In Græcis uerò ita esse ea quæ diximus nonnihil declararunt, magis autẽ quæ dicturi sumus poterunt indicare. Talentum

lentũ itaq; Atticum suprà probaui sexaginta esse minarũ, quod de minori intelligendũ est, duplex enim ipsis fuit, maius & minus, de maiori nunc est dicendum, quod fiusse in usu Terentius ostendit in Phormione, apud quem Geta inquit,

Si quis daret talentum magnum,

Et Vergilius in quinto Aeneidos,

Vináque & argenti magnum dat ferre talentum.

Plautus uerò in Mostellaria declarat quot minarũ fuerit, apud quem Tranio seruus de minis quæ debebantur Danistæ loquens ait,

Quater quadraginta illi debentur minæ.

Deinde Simo senex de eadem re uerba faciens inquit,

Talentis à magnis totidem quot ego & tu sumus,

Tum iterum idem seruus insit,

Heus iã appetit meridies absolue hũc quæso uomitum,

Ne hic nos enecet, quater quadraginta illi debentur minæ, Et sors, & fœnus tantum est.

Hinc intelligitur talentum magnũ octoginta fiusse minarũ. Sed hoc quoq; obseruauit Seruius scribens super Vergilij uersu, qui est in libro quinto Aeneidos,

Perfusæ uestes, argenti auriq; talenta.

Ait enim, Talentum secundum uarias gentes uarium est pondus, sed apud Romanos talentum est octoginta libræ, sicut Plautus ostendit in Mostellaria, qui ait, duo talenta esse centum sexaginta libras. Idem Seruius super eiusdem Vergilij hoc carmine, quod est in nono Aeneidos,

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.
Inquit, Bene addidit, magna: nam uarium apud diuersas gentes est talenti pondus, nam talentum potest & breue aliquid & magnum significare. Nam, ut suprà diximus, secundum Plautum talentum octoginta librarũ est, qui cum dixisset debere CLX. libras, paulò pòst intulit duo talenta, per iocum dicens, debentur talenta tot quot ego & tu sumus. Hæc ille. Fallitur autẽ Seruius duobus modis, primo iudicio, q, Romanis LXXX. librarum talentum esse dicit, cum nullum habuerint. Comici nanque, qui talenti uoce solent uti, ferè Attico more loquuntur. Vnde Terentius non modo habet talentum, sed etiam minam & drachmam & obolum, nec Plautus multũ dissimilia. Sunt enim Græcos in hoc imitati Apollodorum, Diphilum, Menandrum, è quibus suas comœdias uerterunt. Deinde memoria fallitur, quòd pro minis libras inquit, nam nec Plautus libras eo loco habet, nec ponderis eiusdem & ualoris sunt libra & mina. Sed quomodo Comici loquuntur, eo & Vergiliũ locutum facile credimus. Quin etiam Liuius declarat idem talentum Atticum appellans libro quadragesimo octauo ab urbe condita. Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos pensionibus æquis, talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendeat. Priscianus Cæsarienſis in libello de Ponderibus hunc locum citans scribit, Sic decreuit senatus, ut non plus quàm ternæ libræ & quaternæ unciæ singulis desint talentis. Quæ quidem

ex

ex medicorũ sententia dicuntur. Nam octoginta minæ Atticæ efficiunt ipsis octoginta tres libras Romanas & quatuor uncias: est enim mina quatuor drachmis grauior libra. Sed minime Liuij est sententia, qui denarios grauiores statuit, quàm ut septem octo tantum drachmas Atticas ponderent, ut libro præcedenti dixi: quare reliquæ drachmæ, quarum in unaquaque mina quatuor supersunt, in denarios dispartiuntur. Idem Priscianus scribit duo talenta Atticis fuisse his uerbis, Talentum Atheniense paruum, minæ sexagintamagnum, minæ octoginta tres & unciæ quatuor. Ego legerem, libræ octoginta tres & unciæ quatuor, ut cum his, quæ paulò ante ex eodem retuli, concordẽt. Nisi quis uelit dicere, minas hic ab eo pro libris scriptas, tanquam idem essent, quod ut hominis esset parum memoris, ita non multum mirum, quia postea scribit, Et sciendum quòd secundum Liuij computationem centum minæ Atticæ, quarum singulæ LXXV. drachmas habẽt, faciunt talentum magnum, nam minus habet LX. secundum Dardanum: isto enim modo talentum magnũ non nisi septẽ millia et quingẽtas drachmas habuisset. Tres itaque diuersæ sententiæ à Prisciano proferuntur, siue librariorum siue ipsius magis culpa, qui diuersa ex diuersis non satis intelligens collegerit. Sed non ualde miror & Seruium & Priscianum in his falli, ut qui Grammatici fuerint, nisi quis omnium rerum exactam scientiam illis esse debere uelit, quod nescio an ulli cõtigerit, aut unquam continget. Relinquamus itaque

Priſcianum: nam Budæus quoque aduertit ipſum non ſatis conſona tradere, eáque cum multis excuſſerit, tandem inquit, Quare potius adducor, ut talentum apud Liuium ſit octogenarium & proportionẽ epitriton habeat, id eſt, ſeſquitertiam, uel ut alij loquuntur tertiariam, ad talentum Atticum minus, quod ſexagenarium eſt. Hæc recte. Siquidem ex Plauto oſtendi maius talentum eſſe octoginta minarum, minus uerò ex alijs multis ſexaginta eſſe intelligitur. Pergit, Sic enim ratio quadrabit, ut quam proportionem denarius ad drachmam habuiſſe dicitur, eandem Liuianum talentum ad uulgare, id eſt, ad Atticum habeat. Priſcianus quidem dixit denarium hanc proportionẽ habere ad drachmã, ſed Liuius non omnino qui addit, ferè. Budæus autem id non uult, nam denarium et drachmam Atticam idem pondus habere & idem ualere putat. Sequitur, Libras nunc centenarias intelligi uolo, nam quod apud Priſcianum legitur, ut talentum minus ſexagenarium ſit, & libræ eius ſeptuagintaquinque drachmarum, nullo authore confirmari poteſt. Hactenus ille. Ex incuria librarij arbitror hic ſcriptum libræ, cum minæ eſſet ſcribendũ, & uerè dicuntur hæc à Budæo. Tametſi enim duplex mina fuerit Atticis, uetus LXXV. drachmarum, noua centum: nuſquam tamen legitur talentũ minus fuiſſe centum ueterum minarum, ſed de his mox plura. Ait deinde Budæus, Cum enim Suidas, Pollux, Feſtus, Græci & Latini talentum Atticum ſex millium drachmarum eſſe dicant & ſexaginta minarũ, neceſſe

eſt

est, ut LX. minas nõ Atticas sed Græcas intelligamus & centenarias, quæ Atticas octoginta faciunt. Hæc Budæus. Cum quo minime consentio, nam Suidas & Pollux, ac cæteri cũ dicunt talentum sex millium drachmarum esse, Atticas intelligunt: quemadmodum etiam Latini dum sex millium denariûm dicunt, intelligunt per denarios drachmas Atticas, ut ex dictis perspicuum est. Atque sic etiam non Græcas minas sed Atticas intelligunt. Sed quorsum tandem hæc? pergit declarando, Non omittendum id quod Pollux inquit, Talentum Atticum apud Athenienses Atticas drachmas capere numero sex millia, apud alios eundem numerum, sed suarum cuiusque loci drachmarum. Hactenus Budæus. Suprà uerba Pollucis retuli, qbus minas dicit alijs quoque centum esse drachmarum ipsis consuetarum. Tandem Budæus infert, Id quod eò pertinere potest, quod de talento Liuiano dictum est, siue Euboicum, siue aliud fuerit, ut quomodo Athenis & alibi talentum sex millia drachmarum habuit uernacularum cuiusque loci: sic Romæ sex millia denariorum habuerit, quæ tamen æquauerint pondere octo millia drachmarũ. Hæc Budæus. Liuius cum habeat duplex talentum Atticum, maius quod ipse clare dicit Atticum: minus, quod non obscurè ex his quæ suprà scripsi intelligitur quoque Atticũ fuisse, quorum neutrũ idem est cũ Euboico, cuius ipse aliàs nominatim mentionẽ fecit, neq; cum alio quopiã cuius meminisse authores scimus. Romanis autẽ nullũ fuit talentum, cum enim sex milliũ denariûm ta-

lentum esse aiunt, de Attico se loqui manifeste dicunt Festus & Gellius. Liuius uerò sua quæ habet de eodem Attico minore ex Polybio transtulit. Quamobrem hæc Budæi, pace tanti uiri dixerim, planè incerta sunt, ne igitur dubios magis quàm certos redderent lectores penè necessarium fuit ea asscribere. Cæterum hoc loco non ab re erit ueterum loquendi consuetudinem indicare, præsertim quod libri sint hic non parum deprauati. Suidas sic scribit, ἀρχαῖα δὲ ἡ χρῆσις καὶ τοῦ τρίτου ἡμιτάλαντου, καὶ πέμπτου ἡμιτάλαντου. ἔστι δὲ τὸ μὲν τρίτου ἡμιτάλαντου, δύο ἥμισυ τάλαντα, καὶ τὸ ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἓξ ἥμισυ. καὶ ὅλως οὕτινος ἀριθμοῦ παρωνύμως μέρει ἐπονομάσει τὶς δὲ ἡμιτάλαντον, τούτου ὁ προηγούμενος ἀριθμὸς ἐφαρμόσει τοῖς ταλάντοις. οἷον ἂν μὲν ὄγδοον. ζ'. ἂν δὲ ἔνατον. η̄. συναριθμουμένου δηλονότι καὶ τοῦ ἥμισυ. φίλον δὲ τοῖς ἀρχαίοις καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον, τρία ἡμιτάλαντα λέγειν, ὡς καὶ τρία ἡμιμναῖα, τὴν μίαν ἡμίσειαν μνᾶς. i. Antiqua consuetudo est huius locutionis tertiũ semitalentũ et quintũ semitalentũ. Est uerò tertiũ semitalentũ, duo talenta & dimidiũ. Quintum uerò semitalentũ, quatuor & dimidiũ. Et septimum semitalentum, sex & dimidium. Et omnino cuius tandẽ numeri parti addiderit quispiã simili ratione semitalentũ, eius numerus antecedens conueniet talentis, ut si octauum, septem, si nouem, octo, connumerato uidelicet dimidio. Solent autem antiqui unum cum

dimidio

dimidio talentum, tria semitalenta dicere, ut & tres semiminas, unam cum dimidia minam. Idem Suidas etiam alibi scribit, τρίτον ἡμίδραχμον τὰς δύο καὶ ἡμίσεαν δραχμὰς, οὕτως ἐνίοτε λέγουσι οἱ παλαιοί. Hoc est, Tertiam semidrachmam duas drachmas cum dimidia, isto modo antiqui consueuerunt dicere, quæ sane cum locutionibus superioribus conuenit. Hinc Priscianus quoque inquit in libello de Ponderibus, Sestertius dicitur semis tertius, de quo Aruntius hæc ait, Sestertius olim dupondius & semis, quasi semistertius, quo tempore denarius decussis ualebat, hoc est, post duos sequens tertio loco est semis. Hoc quoque secundum Atticos et Ionas, qui τρίτον ἡμίδραχμον dicebant, pro δύο καὶ ἡμίσεαν δραχμὰς. Teste etiam Didymo, qui hoc ponit ostendens in omni parte orationis & constructionis analogiam Græcorum secutos esse Romanos: unde & Herodotus in primo historiarum ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Id est, septimum semitalentum dixit, pro sex & semitalentum. Hæc Priscianus. Eiusdē sententiæ est Volusius Metianus quum scribit, Sestertius duos asses & semissem, quasi semis tertius, Græca figura ἑβδόμον ἡμιτάλαντον. Nam sex talenta & semitalentum eo uerbo significantur. Lex etiam XII. tabularum argumento est, in qua duo pedes & semissis sestertius pes uocatur. Ex his itaque intelligimus si dixerint, τρία ἡμιτάλαντα, tria semitalenta indicāt, id est, sesquitalentum. Sin τρίτον ἡμιτάλαντον, duo integra talenta & dimidium. Sed de his satis: quoniam

& Budæus ea nonnihil attigit. Dicunt præterea δίτάλαντον, id est, duo talenta, & τρίτάλαντον tria. Inde quoque fit ταλαντιαῖον, id est, pondere talēti. Sic ταλαντιαῖοι λίθοι apud Suidā. Et ταλαντέω quod pondero, siue ad libram appendo significat, quo utitur Plato in Timæo, τῶν δὲ γῆ ταλαντουμένην ἄνω μάλως σείεσθαι μετ' ἐκείνων· κινουμένην δὲ ἄνω πάλιν ἐκεῖνα σείειν. Id est, Terram uerò inæqualiter appensam ab illis concuti, rursumq; commotam illa concutere. Sed idem uerbum etiam dicitur ταλαντάω & ταλαντεύω. Postremo inde πολυτάλαντος dicitur dines, ut qui multa habeat talenta. Sed in his nimius fui, quæ ad Grammaticos magis pertinent. Veniam nunc ad minam, quemadmodum uerò duplex talentum, magnū & paruum Atticis fuisse testimonio authorum probaui, ita duplex quoque mina fuit, maior, quam Solonis appellare possumus: minor, quam Veterem: fuit hæc quinque & septuaginta drachmarum, illa centum. Habet itaque Solonis planè proportionem sesquitertiam ad ueterem, quam & talentum magnum ad paruum, ut prorsus uerum sit quod Plutarchus & Andocides asserunt, Solonem mensuras & pondera auxisse. Cæterū ut utrunq; talentū in usu manfit, sic non pari modo utraq; mina, sed uetus abolita uidetur. Erat uerò Solonis Xenophonte, Diodoro, Cleopatra, Plinio testibus centum drachmarum: uetus autem quinq; & septuaginta, quod dicunt Fannius & Priscianus. Fannius quidem quum Graiam minam, quam uult centum esse drachmarum, declarārit,

declararit, adijciens,

Attica quæ fiet, si quartam dempseris hinc, mna.

Priscianus uerò sic scribens, Mina Attica drachmæ septuagintaquinque. Malo autem istis hic quàm Plutarcho accedere, quòd hac ratione prorsus seruetur proportio sesquitertia, quæ & inter talentum magnum et paruum est. Credo itaque uel negligenter à Plutarcho scriptum trium & septuaginta minarum, uel quod magis placet, librariorum incuria qui notas ob uetustatem non rectè legentes, numerum mutarunt. Verum Fannius & Priscianus nonnihil etiã hac parte aberrarunt à uero, quò fit ut alios reddiderint dubios, alios secum errare fecerint: nam minam centum drachmarũ, quam Atticam esse ex optimis authoribus probaui, Græcã appellat Fannius, nesciens Atticis duas fuisse minas. Ait enim,

Accipe præterea paruo quam nomine Graij
Mnan uocitant, nostriq; Minam dixere priores.
Centum hæ sunt drachmæ, quòd si dempseris illis
Quattuor, efficies hanc nostram denique libram,
Attica quæ fiet, si quartam dempseris hinc, mna.

Ex quibus carminibus primo clarum est, quòd Graiam minam centum esse drachmarum uelit, quasi Græci perinde ut communem habuerint loquẽdi proprietatem, quam διάλεκτον adpellant, sic etiam minam habuerint cõmunẽ. Deinde libra Romana esse drachmarũ nonaginta quatuor, q̃d rectissimè ab eo scriptũ est. Tũ deniq; Atticam minã esse drachmarum septuagintaquinq;, quod uerum est de ueteri Attica. Si itaq; quam Graiã uocat, nominaßet

minasset quoque Atticam, bene sensisset, sed forte non credidit unam eandemq; ciuitatem duas habuisse minas diuersas: unde in istam opinionem uenit. Sed Priscianus magis errat scribens, Mina Attica drachmæ septuagintaquinque. Libra uel mina Graia drachmæ nonaginta sex. Primum recte scribit de Attica mina ueteri, ac plane concordat cum Fannio: alterum non recte, nam nec libra uerè Graia dicitur, quæ Romana est, qua tametsi Græci utuntur, seruant tamen idem pondus quod Romani, nec mina ulla nonaginta sex drachmarum fuit. Sic fallimur ubi, re non satis diligenter considerata, leues ad scribendum sumus. Videtur itaque Priscianus legisse Fannij carmina, sed non satis memoria tenuisse. Porrò Alciatus facit nobis duas libras Atticas, quarum neutra est Attica: altera tantum impropriè sic dicitur, & quidem à nemine nisi Fannio. Sed ne tempus frustra teratur eius uerba perpendamus, Nunc de libra uideamus, quam illi λίτραν dicunt, & minimum fuit, ponderis uidelicet stagiorum, id est, sextularum, trium, ut interpres Nicandri scribit. Sic ille. Nicandri interpres hoc non scripsit de libra, sed mina Attica, ait enim, ἡ δὲ ἀττικὴ μνᾶ λίτραν μίαν ἡμίσταν. ἡ δὲ ἀττικὴ στάγια τρία. Id est, Mina Italica sesquilibram habet: Attica uerò tria stagia. Sed locus hic sine dubio deprauatus est, ut & alij multi. Quis enim unquam scripsit minã Atticam sex drachmarum esse? Ego arbitror sic legendum, ἡ δὲ ἀττικὴ λίτραν μίαν ἢ στάγια. ῡ. id est, Attica uerò libram unam & stagia duo: tum enim uerè

rè ab interprete ista scribuntur. Illud fortaßis non prætermittendum, quòd Alciatus ex sententia interpretis Nicandri, nõ interpretetur tria stagia, tres sextulas: quòd is stagium dicat esse pondus sesquidrachmæ, ac idem cum denario, & sextulam tantum quatuor scriptulorum esse constet. Libram tamen unciarum esse duodecim interpres ille recte scribit, ἡ ὁλκὴ οὐγγίας δύο, ἡ λίτρα ὁλκὰς ἕξ. Hoc est, Holce uncias duas habet, libra holcas sex. Quid uerò Holce fuerit in medicis declarabo. Præterea Alciatus librã pro mina dicit, quem nec satis defendit Plinius qui more interpretum sibi aliquid permittens, uertere solet libram, nec Fannius qui improprie sic nominauit. Pergit deinde, De qua multa quoque Iulius Pollux scripsit, cui opinioni astipulatur etiam Hesychius qui λίτραν interpretatur Siclũ, qui idem est cum stagijs tribus, & tamen libra communis, ipsa quoque est unciarum duodecim. Hactenus Alciatus. Adscribenda sunt uerba utriusque, primo Hesychij qui inquit, λίτρα, ὀβολός· οἱ δὲ νόμισμα παρὰ σικελοῖς. οἱ δὲ ἐπὶ σαμμῶν. οἱ δὲ ῥωμαῖοι δι' ὰ τοῦ ῡ. λίβρα. Id est, Litra, obolus. Alij uerò dicunt Nomisma apud Siculos. Alij pondus. Romani autem per b proferunt libram. Ne uerò quempiã perturbent uerba Hesychij, ea declarare operæprecium duxi. Principio dicit, Libra, obolus, id est, libra ualet obolũ. Id autem de graui ære quo multam indicere solebant dictum accipi potest. Siquidem denarius decem ualebat asses siue libras: obolus uerò erat decima pars drachmæ Aeginæ,

ut in

ut in alio opere declaraui. Hinc traditum ab authoribus libram obolum ualere. Vnde Pollux libro nono inquit, καὶ μὴν ἐν ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ, φησὶν ἀριστοτέλης, ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτρας. δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν αἰγιναῖον. Hoc est, Atqui in Agragantinorum rep. dicit Aristoteles, quendam multatũ esse triginta libris: ualere uerò librã obolũ Aeginæũ. Ex qbus dilucidũ eße arbitror librã et obolum non idem esse, sed idem ualere. Quòd si quis putat λίτραν pro libella, quod diminutiuum non recipit Græca lingua dictum, non aberrat. Siquidem libella erat moneta argentea atque decima pars denarij, ut alia libella decima pars sestertij, quemadmodum est apud Volusiũ Metianum. Deinde ait Hesychius, Nomisma apud Siculos, ex quo apparet Siculos etiam Romana moneta usos: quare mirum non est, Epicharmum Siculum scripsisse heminam Latino uocabulo. Addit Hesychius, Alij pondus: quod ita esse nemo non intelligit. Postremo inquit, Romani autem per b proferunt uel scribunt libram: cognoscitur itaque uel inde Græcos Romanam uocem nõnihil corrupisse. Igitur quæ sit sententia tum Hesychij tum Pollucis quemlibet iam tenere arbitror. Sed Alciatus uidetur legiße Siclum, quum omnia exemplaria Hesychij & Pollucis, quæ mihi uidere contigit, habeant obolum. Quamobrem minus etiam istorum uerbis, quàm Nicandri interpretis confirmare potest, Atticam libram trium sextularum fuisse. Sequitur in Alciato, Est & alia Attica, cuius meminit Rhemnius Palæmon,

ponderis

ponderis drachmarum LXXV. quarta uidelicet parte minor noſtra libra, cuius ſupra mentionem fecimus, ſed impropriè hanc Libram uocitari dixi. Hæc ille. Fannius eam nunc libram Atticam, nunc Minam nominat: Minam quidem rectè, Libram uerò impropriè, ut bene ſentit Alciatus. His itaq; uerſibus Libram adpellat,

Vnciaq; in libra pars eſt, quæ menſis in anno,
Hæc maior Latio libra eſt, gentiq; togatæ:
Attica nam minor eſt, ter quinq; hanc deniq; drachmis
Et ter uigenis tradunt explerier unam.

Quibus uerò minam recte uocat ſupra retuli. Deinde errat Alciatus, quòd quarta parte Romana libra minorem dicit, id enim non eſt: nã tum ſeptuagintaduarum drachmarum tantum eſſet, quod nec ipſe uult, nec eſt uerum: quod autẽ ſupra ſe dixiſſe ait, eſt. Metron enim, ut eius poëtæ interpres atteſtatur, præcipue Chœnica appellabant, ex eo quòd illa principium ſit omnis ferè menſuræ: quapropter & à quibuſdam libra dicta eſt, ſed impropriè. Videtur Rhemnius Palæmon non ipſam Chœnicem, ſed eius dimidium libram adpellaſſe, dum Atticam libram commemorat põderis drachmarũ LXXV. Sic Alciatus. Recte quidem ſcribit Metron Chœnica dictam, id enim dixit Ariſtophanes, ut eius interpres declarat: ubi uero Rhemnius dimidium chœnicis appellauerit Librã neſcio, certe ſi ita appellaſſet, quod ab eo factum non eſt, magis etiam impropriè quàm minam libra nominaſſet. Sed de his plus ſatis. Libra igitur nulla eſt Attica, ſed duplex eſt mina Attica, uetus et Solonis.

Iam

Iam ad drachmam est transeundum, quæ nummus erat argenteus, sicut apud Romanos denarius. Hinc Suidas scribit, δραχμὴ δὲ ὁλκὴ νομίσματος ἀργυρίου. Id est, Drachma autem pondus argentei nummi.

Et Fannius,

In scripulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis.

Præterea Alexarchus apud Athenæum mutato more loquendi τὸν δραχμὴν, ἀργυρίδια nuncupauit. Fuit & aurea drachma, quã δραχμὴν χρυσίου Hesychius & Suidas nominant. Cæterum drachma dicta est, ut Iulius Pollux scribit, quòd sit quasi manipulus obolorum, quem δραγμὴν uocant. A drachma quoque fit τετράδραχμον, id est, quatuor drachmæ, in cuius loco Latini habent semunciam, eo usus est Liuius: fit & τρίδραχμον atque δίδραχμον, id est, tres & duæ drachmæ. Quoniam uerò de drachma Attica multa in Latinis ponderibus dixi, nunc ad obolum ueniam: obolos autem drachma Attica sine controuersia habet sex, quæ posset etiam diuidi in tria γράμματα, quæ Latini scripula nominant, quemadmodum eam diuidit tum Cleopatra, tum Fannius: sed quia γράμματος & in hac significatione usus Atticis nullus aut rarus est, id ad medica pondera reijciam. Ab obolo autem fit δίωβολον & τριώβολον & τετρώβολον, id est, duo, tres, quatuor oboli. Pendet uerò obolus sex æreola Diodoro & alijs: quare Plinij locus aut depranatus est, aut ipse decem æreola paris ponderis fecit cum aliorum sex.

Sunt

Sunt uerò uerba Plinij de drachma Attica. Eadémque ſex obolos pondere efficit, obolus decem chalcos. Poſtremò æreolum diuiditur in ſeptem minutias, quæ, ut dixi, indiuiſæ permanent. Tantum de Atticis ponderibus, ſequuntur medica quæ ſic habent, ἡ μνᾶ ἰατρικὴ ἔχει οὐγγίας. ις̄. ἡ δὲ λίτρα οὐγγίας. ιβ̄. ἡ δὲ οὐγγία δραχμὰς. η̄. ἡ δὲ δραχμὴ γράμματα. γ̄. τὸ δὲ γράμμα ὀβολοὺς δύο. ὁ δὲ ὀβολὸς ἡμιώβολα δύο. τὸ δὲ ἡμιώβολον κεράτιον. α̣. τὸ δὲ κεράτιον σιτάρια. δ̄. Hoc eſt, Mina medica habet uncias ſedecim. Libra uerò uncias duodecim. Vncia drachmas octo. Drachma ſcriptula tria. Scriptulum obolos duos. Obolus ſemiobolos duos. Semiobolus ſiliquam unam cum dimidia. Siliqua grana quatuor. Sic ſe habent pondera quæ Græcorum medicis ſunt in uſu: quod autem tot unciarum fuerit medica mina, clare dicit Dioſcorides quiſquis fuit, cuius uerba ſunt hæc in libello de menſuris & ponderibus, ἡ μνᾶ κατὰ μὲν τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἄγει οὐγγίας. ις̄. τουτέστι δραχμὰς. ρκ̄. Id eſt, Mina ſecundum medicorum uſum habet uncias ſedecim, drachmas centum uiginti octo. Hinc Galenus libro ſecundo περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη recitat emplaſtrum Heræ nobilis medici qui ſic ſcribit, τρίψας ξηρᾶς μνᾶς. α̣. λιθαργύρου μνᾶ. α̣. & cætera minæ pondere: tandem uerò etiam κυπρίου χαλκοῦ μνᾶς ἑκκαιδέκατον. Vbi Galenus addit, οὗτος δὲ τοῦτο τῷ φαρμάκῳ ὁ κηρὸς δεῖται ἐν τῇ μνᾷ ις̄. οὐγγιῶν βουλόμενον εἶναι.

ἔιναι. οὐ γὰρ ἂν ἑκκαιδέκατον ἐγεγράφει μνᾶς, εἰ μὴ τοῦτ' ἐβούλετο. Id est, In hoc medicamẽto Heras manifeste uidetur uelle minam esse sedecim unciarum, non enim scripsisset sextamdecimam minæ partem, nisi hoc uoluisset. Idem Galenus in eodem libro paulò antè, recensens emplastra quædam uiridia Andromachi, quartum his uerbis ab eo scriptum affert, Ἰοῦ ξυσοῦ δραχμὰς. θ. χρυσοκόλλης δραχμὰς. θ. τερμινθίνης μνᾶν μίαν. κηροῦ μνᾶς ἥμισυ. ὄξους ὀλίγον. i. Aeruginis rasilis drachmas nouem. Chrysocollæ drachmas nouem. Resinæ terebinthinæ minam unam. Ceræ minam dimidiam. Aceti parum. Galenus minæ, quam Andromachus intelligat, declarandæ gratia, inquit, τὴν μνᾶν δὲ οὐγκίων δεκαὲξ ἐμβάλλειν. ἢ γὰρ τῶν εἴκοσι, ὡς πρὸς τὴν μὲν χρυσοκόλλης καὶ τοῦ ἰοῦ ἰσομετρίαν, μεγάλη. Hoc est, Minam autem sedecim unciarum inijcere oportet. Quæ enim uiginti unciarũ maior est, quàm ut proportione Chrysocollæ & Aeruginis conueniat. Satis declaratum arbitror medicis in usu fuisse minam sedecim unciarum, quare ad Libram uenio, quæ ipsis more Romano in duodecim uncias secatur. Medici enim nobiles Græci, qui hoc uocabulo utuntur, rerum Romanarum non fuerunt imperiti, unde & nomen et pondus mutuo sumpserũt. Sed libram explanat idem Dioscorides scribens, ἡ δὲ λίτρα ἔχει οὐγκίας. ιβ'. δραχμὰς δὲ ἑξ. Quod est, Libra autem habet uncias duodecim, drachmas uerò sex & nonaginta. Idem asserit Galenus περὶ σωθέσεως

σεως φαρμάκων κατὰ γένη libro primo, ἡ μὲν γὰρ λίτρα δραχμὰς ἓξ ἔχει πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα. τὸ δὲ ἡμίλιτρον ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα δηλονότι. καθάπερ καὶ τοῦτου πάλιν δὲ ἥμισυ τέτταρας καὶ εἴκοσι. Id est, Libra enim drachmas sex & nonaginta habet. Selibra octo & quadraginta: quemadmodum & huius rursum dimidia pars quatuor & uiginti. Sic Galenus. Cum itaque octo drachmæ unciam efficiant, ut mox declarabo, necessario sequitur libram esse duodecim unciarum. Quin etiam Galenus eiusdem operis libro primo ait, εἰ μὲν χαλκίτεως ἐμβάλοις οὐγγίας. ϛ. ὅπερ ἐστὶν ἥμισυ λίτρας, ἔσται σοι μεγάλων τραυμάτων κολλητικώτερον τὸ φάρμακον. Hoc est, Si chalcitis uncias inieceris sex, quæ est selibra, magna uulnera conglutinandi uim maiorem habebit hoc medicamentum. Sed idem libro tertio eiusdem operis libram tam ponderalem quàm mensuralem in duodecim uncias diuidi clarissime dicit, quæ uerba libro primo retuli. Sequitur οὐγγία uox Romana, literis paululum, ut scribit Galenus, immutatis, nec minus pondus Romanum, quam drachmarum octo esse ait his uerbis Dioscorides, ἡ δὲ οὐγγία δραχμὰς. η̄. γράμματα. κδ. i. Vncia uerò drachmas habet octo, scriptula uigintiquatuor. Galenus quoq; scribit περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη lib. 6. διὰ δὲ τὴν σταθμικὴν οὐγγίαν ὀκτὼ δραχμὰς ἕλκειν. i. Idcirco quod ponderalis uncia octo drachmas pendeat. Idē eiusdē operis libro quinto,

ἕλκουσι γὰρ αἱ. θ̄. οὐγγίαι ἰταλικαὶ, αἳ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασιν, ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικὰς, αἵ τινες. ξ̄. δραχμαὶ γίνονται, καὶ μιᾶς οὐγγίας η̄. δραχμὰς δεχομένης. Id est, Pendent enim nouem unciæ Italicæ, quæ in cornibus intersectis sunt, septem uncias ponderales cũ dimidia, quæ quidem sexaginta drachmæ fiunt, cum unaquæque uncia capiat octo drachmas. Idem in emplastro, quod ipse composuit, declarat, ῥητίνης τερμινθίνης οὐγγίας. β̄. τουτέστιν δραχμὰς. ιϛ̄. Id est, Resinæ terebinthinæ uncias duas, hoc est, drachmas sedecim. Hinc quoq; fecerunt ἡμιούγγιον quod est Semuncia. Galenus libro secũdo, βουληθεὶς δὲ εὐῶδες αὐτὸ ποιῆσαι, μίξεις ὀποπάνακος ἡμιούγγιον, ὅπερ ἐστὶ δραχμὰς. δ'. Id est, Si uolueris id ipsum odoratum facere, miscebis opopanacis semunciam, quod est, drachmas quatuor. Hesychius quoque scribit, δραχμὴ τὸ ὄγδοον καὶ οὐγγίας. Id est, Drachma octaua pars unciæ. Vncia igitur drachmarum est octo. Drachma autem pendet tria scriptula: inquit itaque Dioscorides, cuius iam sæpe mentionem feci, ἡ δὲ δραχμὴ, ἣ καὶ ὁλκὴ, ἄγει γράμματα τρία, τουτέστιν ὀβολοὺς. ϛ̄. Id est, Drachma, quæ & Holce, pẽdet scriptula tria, quod est obolos sex. Idem etiam alij tradunt. Ab ea fit ἡμίδραχμον, quod medicis quoq; in usu est. Galenus operis commemorati libro quarto, καὶ δὲ τοῦ χαλκοῦ λεπίδος ἡμίδραχμον. Hoc est, Squamæ uerò æris semidrachmam. Proximum est γράμμα, quod Latini

tini ſcriptulum dicunt, ueteribus Græcorum medicis nõ adeo in uſu, ut nec Latinis. Iuniores uerò è quorum numero eſt Aetius, Alexander, Aretius, Moſchio non raro utuntur, ſed ex his nihil iam probare uolo. Veteres autem eius loco habent, δυόβολον, uel ὀβολοὶ δύο. Vt Soranus apud Galenũ περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους libro primo, κισσήρεος ὀβολοὶ δύο Id eſt, Pumicis oboli duo. Quem obolum etiam Plinius non mutauit cum haberet ſcriptulum, quo aliàs utitur, & dimidium ſcriptulum dicere poſſet. Verba eius ſunt libro XXXII. capite XI. Lapis qui inuenitur in ſcorpionis marini cauda pondere oboli potus. Duos uerò obolos dicunt & διώβολον, ex quo fit διωβολιαῖος. Galenus eiuſdem operis libro ſeptimo ὕδατι ἀνάπλαττε τροχίσκους διωβολιαίους. Id eſt, Aqua formato paſtillos pondere duorum obolorum. Tres autem obolos ijdem dicunt τριώβολον. Idem Soranus loco ſuprà citato ἁλὸς ἀμμωνιακοῦ τριώβολον. Hoc eſt, Salis Ammoniaci tres obolos. Sic etiam quatuor obolos appellant τετρώβολον. Zoilus apud Galenum libro tertio eiuſdẽ operis, κρόκου τετρώβολον, κϊναμώμου τετρώβολον, quod eſt, Croci quatuor obolos, cinamomi quatuor obolos. Inde etiã ἡμιώβολον, quod & ἡμιωβόλιον legitur. Andromachus apud eundẽ libro ſeptimo, ἐλατηρίου ἡμιωβόλιον, id eſt, Elaterij ſemiobolum. Idẽ, κρόκου ὀβολὸν καὶ ἡμιώβολον, hoc eſt, Croci obolum & ſemiobolũ. Demũ χαλκοῦς, quod Plinius non

uertit, in usu est medicorum. Dioscorides libro quarto de syluestri cucumere, ἡ δὲ τελεία πόσις ὀβολός. ἡ δὲ ἐλαχίστη ἡμιωβόλιον, παισὶν δὲ δίχαλκον, πλεῖον δ' ποδὴρ κίνδυνον ἐπιφέρει. Id est, Integra potio oboli pondere est, minima uerò semioboli, pueris dentur duo æreola, plus potũ periculum affert. De siliqua et grano in alio opere plura scripsi. Sic habẽt pondera medica, quæ difficilia reddit, tũ magnus dissensus eorũ qui de his scripsere, tum quod nemo satis diuersitatis causas tradidit, ne ipse quidẽ Galenus uir summè diligẽs. Sed ãtequã redeã ad minã, rursus maiora in minora quæq; pondera resoluã. Mina diuiditur in uncias XVI. drachmas CXXVIII. scriptula CCCLXXX III. obolos DCCLXVIII. semiobolos MDXXXVI. siliquas ĪICCCIIII. grana ĪXCCXVI. Libra diuiditur in uncias XII. drachmas XCVI. scriptula CC LXXXVIII. obolos DLXXVI. semiobolos MCL II. siliquas MDCCXXVIII. grana V̄IDCCCXC II. Vncia diuiditur in drachmas VIII. scriptula XX IIII. obolos XLVIII. semiobolos XCVI. siliquas CXLIIII. grana DLXXVI. Drachma diuiditur in scriptula III. obolos VI. semiobolos XII. siliquas XVIII grana LXXII. Scriptulũ diuiditur in obolos II. semiobolos quatuor, siliquas sex, grana XXIIII. Obolus diuiditur in semiobolos II. siliquas III. grana XII. Semiobolus diuiditur in siliquam unam cum dimidia, grana VI. Siliqua diuiditur in grana quatuor. Nũc rursus ad minam ueniendum, quæ uaria admodum est,

sed

ſed nos de alijs in alio opere eiuſdem cum hoc argumenti ſcripſimus copioſius, iam de his ſolũ dicam, quæ in medicinæ uſu fuerunt. Medicã in uſu fuiſſe iam ſatis probatum arbitror. Plinius uerò qui Dioſcoridis latina faciens, μνᾶν libram uertere ſolet dubio procul Atticam intelligit, quæ quatuor tantũ drachmis Romana libra maior eſt. Dioſcorides itaq; libro quinto ſcribit, ὀξυμελι σκευάζεται οὕτω, λαβὼν ὄξους κοτυλας. ε̄. καὶ ἁλὸς θαλασσίου μνᾶν μίαν μέλιτος μνᾶς. ῑ. ὕδατος κοτυλας. ῑ. μίξας ἕψησον ἄχρις οὗ δεκάκις ἀναβράσῃ καὶ ψήξας κατάγισον. *Plinius ſic reddit libro quartodecimo capite decimoſeptimo, Oxymel hoc uocarunt, mellis decẽ libris, aceti ueteris heminis quinque, ſalis marini libra, aquæ pluuiæ ſextarijs quinque ſufferuefactis decies, mox elutriatis atque inueteratis. Dioſcorides ibidem,* ὁ δὲ οἰνάνθινος σκευάζεται οὕτω. λαβὼν τῶν ἀγρίας ἀμπέλου τὸ ἄνθος βρυουσης ξηρὸν μνᾶς. β̄. εἰς μετρητὴν γλευκους πρὸς ἡμέρας. λ̄. εἶτα διυλίσας ἀπόθου. *Plinius in eodem libro capite decimoſexto, Fit è labruſca, id eſt, uite ſylueſtri, quod uocatur Oenanthinon: flores eius libris duabus in muſti cado macerati poſt triginta dies mutantur. Hæc ille. Ex quibus clarum quod Plinius apud Dioſcoridem minam acceperit Atticam. Hinc etiam ait cum medica iam uellet è Græcis, potiſſimum ipſo Dioſcoride transferre. Ferè enim Attica obſeruatione medici utuntur. Et paullò pòſt, Mna, quam noſtri minam*

uocant, pendet Atticas drachmas centũ. Sic quoq; uidetur usus mina Philoxenus medicus, cuius emplastrũ est apud Asclepiadẽ, ut scribit Galenus περὶ συνθέσεως φαρμάκων κτ̄ γένη libro quarto, κηροῦ δραχμὰς. ρ̄. ὃ μνᾶν ἐπιγράφει, στέατος ταυρείου δραχμὰς. ρ̄. ῥητίνης τερμινθίνης δραχμὰς. ο̄ε̄. ὃ τρία τέταρτα ἐπιγράφει. Id est, Ceræ drachmas centũ, quod minam scribit, seui taurini drachmas centũ, resinæ terebinthinæ drachmas septuagintaquinque, quod tres quartas scribit. Videtur autem Asclepiades hanc interpretationem per drachmas posuisse cũ Philoxenus scripserit minam, ne quis eum de Alexãdrina aut alia sensisse putaret. Galenus uerò cum Crito minam scripsisset dubitat quam nam intelligat, locus est libro quinto, cum inquit, φαίνεται δὲ καὶ ἐν ἄλλοις. ρ̄. δραχμῶν βουλόμενος εἶναι τὴν μνᾶν. Id est, Videtur autẽ in alijs quoq; uelle centum drachmarũ esse minã. Quoniã uerò Romæ egisse Critonẽ constat, ut q Cæsareus medicus fuerit, dubiũ est an per drachmas, ut alij, denarios intelligens, uoluerit minã esse centũ denariorũ, tunc enim ab Attica mina multũ, à medica parum, quod mox declarabo, differret. Sed audiamus Galenum q̃ diuersa tradiderint qui de põderibus scripsere, διαπεφώνηται δὲ τοῖς περὶ τῶν σταθμῶν καὶ μέτρων γράψασιν, ὁπόσος ἐστὶν ὁ τῆς μνᾶς σταθμός. ἐνίων μὲν ἑκκαίδεκα λεγόντων οὐγγιῶν εἶναι τὴν μνᾶν. ἐνίων δὲ εἴκοσι. ἐνίων δὲ καὶ διοριζομένων, καὶ τὴν μὲν ἀλεξανδρειωτικὴν εἴκοσι φασκόντων εἶναι οὐγγιῶν.

ῶν. τὴν δὲ ἄλλην ἑκκαίδεκα. Id est, Dissensere autem inter se qui de Ponderibus & Mensuris scripserunt, quantum minæ pondus sit. Alij quidem ipsam sedecim unciarum esse dicunt. Alij uero uiginti. Nonnulli autem distinguunt, atq; Alexandrinam uiginti esse unciarum aiunt, alterã uero sedecim. Idem dicit lib. primo, τινὲς μὲν οὖν εἴκοσι οὐγγίας ἔχειν φασὶ τὴν μνᾶν. ἔνιοι δὲ ἑκκαίδεκα, hoc est, Quidã igitur uiginti uncias habere dicunt minã: alij autem sedecim. Sed q; Alexandrina medicis in usu fuerit, Galenus indicat recensens ex Asclepiade emplastrum Moschionis ueteris medici, sic scribentis, λιθαργύρου μνᾶ α̅. ἡ δὲ μνᾶ ἐπὶ τούτου τοῦ φαρμάκου ἔχει ὁλκὰς ρ̅ξ̅. Id est, Lithargyri mina una. Mina uero in hoc medicamento habet drachmas centum sexaginta. Sic Asclepiades hoc in loco Moschionem minam accepisse dicit. Galenus itaque addit, καὶ κατὰ τοῦτο τὸ φάρμακον καὶ κατὰ τὸ ἐφεξῆς αὐτῷ γεγραμμένον. ρ̅ξ̅. δραχμάς φησιν ἔχειν τὴν μνᾶν. εὔδηλον οὖν ὅτι τὴν ἀλεξανδρειωτικὴν λέγει μνᾶν, οὐγγίας. κ̅. ἔχουσαν. ὅπως ἑκάστη τῶν οὐγγιῶν ἔχῃ δραχμὰς η̅. οὕτω γὰρ συμβήσεται τὰς. ρ̅ξ̅. δραχμὰς ἔχειν τὴν μνᾶν. Quod est, Et in hoc medicamento & in eo quod deinceps scriptum est, centum sexaginta drachmas ait habere minam. Perspicuum autem est, quòd Alexandrinam dicit, quæ habet uiginti uncias, ita ut quælibet uncia habeat drachmas octo: sic enim fiet, ut mina habeat drachmas centum sexaginta. Hæc Galenus.

nus. Hinc uidemus medicis alijs in usu fuisse Atticam minam, alijs quam nominant Medicam, alijs Alexandrinam. Atticam potißimum his, qui uel antequàm res Romanæ essent in flore scripserunt, uel in Græcia agentes Romana pondera ignorarunt. Alexandrinam uerò in primis, his qui Alexandriæ medicinam exercuere. Medicam autem, quibus uel res Romanæ non fuerunt ignotæ, quum in Græcia uitam degerent, uel Romæ agentibus fuerunt notißimæ. Sed quum à Galeno nulla ratio sit indicata, cur hæc mina constituta, nec id ipsum temerè factum putare debeamus, liceat mihi quod sentio in medium proferre. Hi Medici qui Romæ egerunt, quia uterentur Romanis ponderibus, utpote libra, & uncia, & denario, quem Drachmam appellare solent, & scirent Atticis minam esse centum drachmarum, scripsere minam quoque esse centum drachmarum, per drachmas denarios intelligentes. Sic Crito, meo iudicio, accepit minam. Alij referentes ad drachmam Atticam, qua denarius quinta parte grauior est ex sententia Cleopatræ, ac etiam fere Liuij, drachmas inuenerunt Atticas centum uiginti quinque tot denarios efficere, quæ drachmæ in uncias collectæ constituunt sedecim, minus tribus drachmis, quas non curarunt. Sic natam arbitror medicam minam, quæ eadem & centum sit denariorum, & drachmarum Atticarum centum uiginti octo. Quam meam coniecturam si quis contempserit, probabiliorem uelim afferat, & libenter cedam, fieri enim potest ut hic errem, sine causa tamen hanc minam à Medicis institutam,

nunquàm

nunquàm crediderim. Porrò Alexandrinæ ratio est, aut quòd drachmas grauiores habuerint, si Polluci credimus minas omnibus fuisse centum drachmarum, ipsas uerò drachmas pro earum grauitate uel leuitate uariasse: aut quòd mina, si Pollucis sententiam non probamus, plures apud eos quàm centum drachmas habuerit. Si itaque grauiorem drachmam fuisse putauerimus, tum semper quinque drachmæ Alexandrinæ efficient octo Atticas. Habebit enim una drachma Alexandrina sesquidrachmam Atticam & decimam ipsius partem. Sin mina plurium fuit drachmarum quàm centum, nemo quot fuerit, nisi drachmæ grauitate prius cognita, scire potest. Illud nobis sat sit, Alexandrinam minam drachmas Atticas pendere centum sexaginta. Nunc ad Libram, quam Græcis duodecim unciarum esse quemadmodum Romanis suprà probaui. Perinde uero ut hi libram siue assem diuidunt in uncias, ac duas nominant sextantem: tres, quadrantem: quatuor, trientem: sic Græci medicamenta eorum tranferentes ipsos imitamur, atq; ἕκτον λίτρας dicunt sextantem, τέταρτον quadrantem, τρίτον trientem. Galenus περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη libro quinto, τῆς ἴριδος τῆς ἰλλυρικῆς, καὶ ἀριστολοχίας στρογγύλης, & χαλκάνθου, τέταρτον ἑκάστου τὸ τρίτον τῆς λίτρας, τουτέστιν οὐγγίας δ'. ἀριστολοχίας δὲ μακρᾶς καὶ χαλκοῦ κεκαυμένου δ' ἕκτον ἑκατέρου φησὶ λίτρας, τοτέστιν ἀνὰ οὐγγίας β'. Hoc est, Iridis Illyricæ, aristolochiæ rotundæ, atramenti, singulorum libræ trientem, id est, uncias

quatuor

quatuor. Aristolochiæ longæ & æris usti, utriusq; libræ sextantem, quæ sunt singulorum unciæ duæ. Ne hoc quidem negligendum arbitror, Græcos quosdam diuersum egisse quàm Plinius. Vt enim hic pro mina uertit libram, quæ tamen quatuor uncijs est minor: ita illi contra, nonnunquàm per centum drachmas libram non minam exprimunt, ubi quatuor redundant. Vnde Galenus scribit eiusdem operis libro sexto, ποτὲ μὲν γὰρ ἀντὶ ϛ λίτρας. ρ̄. δραχμὰς γράφουσι αὐτοὶ, ποτὲ δὲ ἀντὶ ϛ μνᾶς. Id est, Aliquando enim ipsi scribunt pro libra centum drachmas, aliquando pro mina. Idem eiusdē operis libro primo de eadem re loquens inquit, ὥσθ' ἡ αὐτὴ ἀναλογία σώζεται μηδὲν μέγα διαφέροντος εἴτε ταῖς. ρ̄. δραχμαῖς τῶν μεταλλικῶν, εἴτε τᾶις ἐννενήκοντα ἕξ, αἱ δύο κοτύλαι τοῦ ἐλαίου μιγνύοιντο. Id est, Itaq; eadem proportio seruatur, ut non multum differat siue centum drachmis metallicorum, siue sex & nonaginta, duæ cotylæ olei misceantur. Hæc ille. Et sane non multum refert in id genus emplastris quatuor drachmas adijcere, sed in nonnullis medicamentis, quæ bibimus aut deuoramus, plurimum: quod dico ne quis istis uerbis Galeni fretus, rem parui momenti esse putet. Sed quid dicemus ad Scribonium Largum? qui scribit, Aeque enim in libra denarij octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Largus plæraque medicamenta uertit è Græcis, qui libræ uocabulo usi sunt in eorum compositionibus, diuidentes eam more Romano

in

in duodecim uncias: unciam uerò in septem drachmas, per drachmas denarios intelligentes: quòd autem nonnulli dixerint unciam drachmarum septem, mox Galeni uerbis confirmabo. More itaq; illorum locutus est Largus, alioqui libra drachmarum est sex & nonaginta, ut suprà probaui. Sequitur uncia, in qua nihilo minor dissensio est, quàm in mina: uocabulum & pondus Romanum est, apud quos diuiditur in septem septimas, quos denarios appellant, & in octo octauas, quarum quælibet est trium scriptulorum: quòd ipsum scriptulum sit quarta & uigesima pars unciæ. Octauæ, aliqui nomen non dederunt, ut ille cuius quædam de notis ponderum ex uetusto codice sunt Largo asscripta: multi eam Drachmæ nomine adpellant, ut Balbus ad Celsum de Agrimensoria, Galenus, ac plærique alij medici, præsertim Græci. Fannius etiam drachmam Atticam nominat, cum quo sentit Cleopatra, ubi Minæ Atticæ drachmas centum, in duodecim uncias & semunciam colligit. Sed quorsum attinet hæc repetere, quæ in Romanis ponderibus satis dicta sunt? Vt Græcos in diuisione unciæ in drachmas dißidētes eò melius intelligamus. Ex his itaq; alij tradunt unciam drachmarum esse septem: alij septē cum dimidia: alij octo, de qua re sic scribit Galenus lib. quinto eius operis, ex quo proxime multa attuli, ἐπειδὴ καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναί φασιν. ἔνιοι δὲ. ζ. μόνον. ἕτεροι δὲ η. Hoc est, Quoniam plurimi unciam drachmarum septem cum dimidia dicunt, alij septem solum,

lum, alij octo. Qui septem drachmarum unciam constituunt dubio procul per drachmam intelligunt denariũ, atque hi nomine mutato parũ cautos fallunt, cum ipsi rem ignorasse uideri non debeant. De quibus Galenus ait πρὸ σωθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους libro octauo, πρόδηλον δὲ ὅλῃ δραχμῇ λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν. Id est, Manifestum autem est, quòd drachmã dicimus nunc in eiusmodi omnibus, quod Romani Denariũ nominant. Qui uero dixere septẽ drachmarũ cum dimidia unciã esse, uidentur quidem aduertisse drachmã leuiorem esse denario, non tamen exacte, quantum interesset, examinasse: quorum sententiam, tanquam uerã, artis Veterinariæ medici, ut infrà dicã, receperunt. Postremi rẽ sunt assecuti, diuidentes unciã in octo drachmas, de quo multa iam dixi. Quòd si præterea fuerint, qui unciam diuiserint in octo quidem drachmas, intelligentes denarios, isti re & nomine à uero aberrasse sunt existimãdi. Sed de his satis: nunc Alciati quædam sunt expendenda, qui postq̃ dixit Atticas mensuras à cæterorum Græcorũ & Latinorum mensuris differre, sic inquit, Et Primo de uncia loquamur: scribit Plin. lib. uigesimoprimo, in drachma Attica sex esse obolos, in obolo chalcos, id est, æreolos, decem: In obolo uerò Græcorũ communi, octo tantummodo chalcos esse Iulius Pollux lib. 9. Paulus Aegineta, & cæteri tradunt: quò fit ut uncia Attica, quæ eadem cum Romana est, chalcos habeat CCCCLXXX. cũ uncia Græca solos

habeat

habeat CCCLXXXIIII. Hæc Alciatus. Probauimus suprà ex Diodoro & alijs, obolũ Atticum habere tantum sex æreola, quibus potius q̃ Plinio credimus, q̃ quæ scribunt, consona magis sint ueritati, Deinde cum denarius et drachma Attica eiusdẽ ponderis, ut clare ostendi, non fuerint, si utriusq; totidem drachmas nempe octo, quod uult Alciatus, numeraueris in uncia, non erit, quod asserit, uncia Attica eadem cum Romana, sed Romana non paulò grauior Attica. Cæterum qui obolum diuidunt in æreola octo, intelligunt drachmæ loco denarij acceptæ obolum, quod Cleopatra manifeste ostendit, quæ drachma grauior est Attica. Alciatus non intelligens, bona pace dicã, cutus drachmæ obolũ tradunt habere chalcos octo, contra nobis Atticã drachmam grauiorẽ facit drachma, qua loco denarij sunt usi, ac constituit diuersas uncias. Pergit, Merito ergo Cornelius Celsus lib. 5. capite decimoseptimo in uncia Græca pondus septem denariorum esse tradit, cum alioqui Latina & Attica uncia denarios habeat octo. Sic ille. Celsus non dicit se explicare unciam Græcam, sed in uncia pondus denariorũ esse septem. Nec plures fuerunt iusti ponderis in Romana, sicut suprà probauimus. Quòd uero Latina uncia habeat denarios octo, non, opinor, unq̃ probabit Alciatus. Breuiter, ego non inuenio apud scriptores nisi unam unciam, quæ est septem denariûm, uel octo drachmarũ, quas drachmas aliqui nominãt Atticas. Addit Alciatus, Tametsi nec eius ratio omnino quadret quandoquidem id septem denariorum pondus aliquanto

grauius

grauius est uncia Græca, sed maluit Celsus paulo ampliorem modum dicere, quàm leuiorem, quod feciſſet ſi ſex denarios in uncia ſolos conſtituiſſet: cõtineret enim chalcos præterea quatuor & uiginti. Ita Alciatus. Quæ omnia ex non conceſſis colligit, quamobrem plura de ipſis non dicam. Sequitur, Eadem ratione factum est, ut cum ſextarius Romanus quindecim unciarum ſit, ut ſuprà dixi, Græci ſuo ſextario uncias octo & decem attribuant, quòd uidelicet uncia communis ipſorum noſtra, itemq; Attica leuior ſit, in ponderecq; decem & octo unciæ ipſorum & quindecim noſtræ nihil differãt. Tantum Alciatus. Sic certe error alius ex alio naſcitur. De Attico ſextario quod utrunque ſit ſcriptum libro ſecundo firmis authorum teſtimonijs probaui. Habet enim is decem & octo uncias menſurales, pendet oleo refertus XV. Si Alciatus unciam menſuralem a ponderali, quod neceſſarium fuit, recte diſtinxiſſet, non Græcam à Romana & Attica, tum ſine dubio rem potuiſſet intelligere. Nihil tamen mirũ uiros alioqui doctos, ſed ignaros medicinæ, à recta regione deflexiſſe. Iam ad drachmam pergendum, quæ etiam ὀλκὴ uocatur, quod ex Dioſcoridis illius ſuprà citatis uerbis clarum eſſe potuit. Galenus etiam hoc modo interpretatur, quædam referens Aſclepiadis, qui Themiſonis antidotum ſacram cum retuliſſet ſic ſcribit, ἡ χρῆσις πρὸς μὲν τὰς ἕξα δυσεψίας ὀλκὴ μία μετὰ ψυχροῦ ὕδατος κυάθων δ'. Id eſt, Modus eius potãdi eſt ad tardã concoctionem holce una cum aquæ frigidæ cyathis IIII.

Galenus

Galenus itaque ait, κελεύει δίδοσθαι μίαν ὁλκὴν μεθ' ὕδατος ψυχροῦ κυάθων. δ̄ ἡγοῦμαι δὲ λέγειν αὐτὸν δραχμὴν ἀργυρᾶν. καὶ γὰρ οὕτω σχεδὸν ἅπασι τοῖς νεωτέροις ἰατροῖς ἔθος ὀνομάζειν. Hoc est, Iubet dari holcen unam cum aquæ frigidæ cyathis quatuor. Arbitror autem ipsum dicere drachmã argenteã. Sic enim nominare omnibus ferè iunioribus medicis consuetudo est. Est uerò locus ille in eodem libro cuius proxime mentionem feci. Cæterum Holce propriè id significat, quod alioqui σταθμός. Hinc Dioscorides libro primo de materia medica sic scribit in Iride, καθαίρουσι δὲ χολὰς ποτιζόμεναι μεθ' ὑδρομέλιτος ὁλκῆς δραχμῶν. ζ̄. Id est, Purgant uerò bilem pondere drachmarum septem cum aqua mulsa potæ. Errat in holce multum Nicandri interpres, ut iam in Hippoiatricis dicã. De reliquis minoribus ponderibus hic plura scribere nolui, quòd partim suprà satis sint explicata, partim in alio opere, ut quæ hic omisimus, cuiusmodi sunt ἀσσάριον, τετράσσαρον, στατὴρ, στάγιον, ἐξάγιον, σίκλος, θερμὸς, κεράτιον, ὄροβος, φακὴ, σιτάριον, ac alia nõ pauca, quæ medicis sunt in usu, ut cum scribunt fabæ Aegyptiacæ magnitudine aut nostræ, aut ciceris, uel denique manipulus, & similia. Nunc antequàm extremam manũ huic labori imponam, declarabo paucis & Hippoiatrica. Mulomedici enim Græcorum ut suas habuere mensuras, sic quoque pondera in hunc modum, ἡ μνᾶ ἔχει οὐγγίας. ιε̄. ἡ δὲ λίτρα δραχμὰς. η̄. ἡ δὲ οὐγγία,

δραχμὰς ξϛ'. ἡ δὲ δραχμὴ γράμματα. γ̄. τὸ δὲ Διωάριον γράμματα. Δ̄. ὁ δὲ γράμμα ὀβολοὺς δύο. Quod est, Mina habet uncias quindecim, libra drachmas nonaginta, uncia drachmas septem cũ dimidia, drachma scriptula tria, denarius scriptula quatuor, scriptulum obolos duos. Sic traduntur Hippoiatrica pondera in libello de Mensuris & Ponderibus, à quodã ignoto Græco, cuius uerbis res est probãda, scribit itaque sic, ἡ μνᾶ ἔχϕ οὐγγίας. ιε̄. ὁλκὰς. ϛιβϛ'. ἡ λίτρα ἔχϕ ὁλκὰς. η̄. τὸ Διωάριον ἔχϕ γράμματα Δ̄. ι. Mina habet uncias XV. holcas CXIIS. libra habet holcas XC. denarius habet scriptula IIII. Idem paulò pòst, ἡ οὐγγία ἔχϕ δραχμὰς. ξϛ'. ἡ δραχμὴ ἔχϕ γράμματα. γ̄ ὀβολοὺς ϛ̄. Hoc est, Vncia habet drachmas septem cũ dimidia, drachma habet scriptula tria, obolos sex. Sic ille sentit. Videamus primo quonam modo fiat mina unciarum quindecim. Vt illi qui medicam minam statuerunt unciarum sedecim, resoluerunt denarios in drachmas Atticas, ita hi quia unciam asserunt drachmarum septem esse cum dimidia, detrahunt de sedecim uncijs unam, unde hæc opinio, siue persuasio, siue quo alio nomine appellare libet, uidetur nata, minam esse unciarum quindecim. Sequitur libra quæ non dissimiliter istis unciarũ est duodecim, nam quod scribitur in exemplari excuso, ἡ λίτρα ἔχει ὁλκὰς. ϛ̄. Id est, Libra habet holcas sex, deprauatum est. Nam librarius notarum affinitate, quæ est inter. η̄. nonaginta significantem, & ϛ̄. sex, decepturus,

ptus, unam notam pro altera scripsit. Errorem uerò suum ex minæ explicatione, ubi holce omnino drachmã significat, facile deprehendere potuisset. Nam ridiculus author ille fuisset, si holcen modo pro drachma, modo pro uncia sumpsisset in uno quasi contextu uerborum. Quinetiam exemplar, quod paulò correctius uidi, sic ut lego habet. Videtur autem librarius iste indoctus secũ in errorem traxisse eum, qui quædam de Mensuris & Ponderibus Nicandro adiecit, siue fuerit illius interpres, siue alius quispiam. Is enim scribit, λίτρα ἔχει ὁλκὰς. ϛ. Hoc est, Libra habet holcas sex. Quoniam uerò iste intelligebat libram esse unciarum XII. in eam opinionem necessitate quadam uenit, ut holcen interpretetur uncias duas, præcedunt enim hæc uerba, ἡ ὁλκὴ οὐγγίας δύο. Id est, Holce uncias duas. Quod nemo alius tradidit. Sed ita solet error ex errore plærumque oriri per insciti am, aut per negligentiam. Nam holcen pro pondere drachmáque legimus, pro duabus uncijs minime. Porrò nec in Græco ignoto qui Hippocratica tradit sine menda legitur, ἡ οὐγγία ἔχει δραχμὰς. η. Id est, Uncia habet drachmas octo, quod corruptum esse quisquis minam in drachmas ibidem redactam considerauerit, facile obseruabit, etiamsi nullo emendatiore codice iuuetur. Postremò denarium iste dicit esse scriptulorum quatuor, idem sentiens quod Priscianus Cæsariensis, quem secutus est Portus, diuersitatem denariorum afferens: quod tametsi uerum non est, minus tamen ipse aberrat à uero, quàm Nican-

dri interpres, qui scribit, Δηνάριον Δραχμὴν μίαν ἡμίσειαν. Hoc est, Denarius sesquidrachmam habet. Isto modo feliciter crescerent denarij in arca. Alij igitur de denarij Romani pondere detrahunt, alij nimium ad pondus ipsius addunt. Sed dimittamus bonum istum interpretem, qui plæraque in mensuris & ponderibus corrumpit, ut aliàs ostendimus. Diuidamus itaque pondera Hippoiatrica maiora in minora, quod idcirco facere consueuimus, ne res iterum tam facilè deprauari possit. Mina secatur in libram & quadrãtem, id est, uncias. XV. drachmas CXIIS. scriptula CCCXXXVIIS. obolos DCLXXV. Libra secatur in uncias XII. drachmas XC. scriptula CCLXX. obolos DXL. Vncia secatur in drachmas septem cum dimidia, scriptula XXIIS. obolos XLV. Drachma in scriptula III. obolos VI. Scriptulum in obolos II. Tantum de Hippoiatricis ponderibus: restant demum notæ. μνᾶς est litera μ, superne positum habens ν, hoc modo, μ̀. λίτρα est λ, habens supra scriptum ι, sic λ̀. quidam uerò linea obliqua secantes dextrum ipsius cornu idem significant, isto modo λ. alij inter cornua eius ponunt ι, hac figura λ. οὐγγίας est γ, habens appositum siue impositum in angulis ipsius ο, hoc modo γο. Δραχμῆς obliquum λ, in dextrum cornu inclinans sic ∢ ὁλκῆς uerò, quæ eadẽ est cũ drachma, λ, in cuius medio est inscriptum ο, hac figura λ. γράμματος autem γ, adiunctum habens ρ, quod secet recta linea, isto modo ρ. ὀβολοῦ linea in obliquum flexa, habens

ex

ex utraq; parte punctum sic. ⌣. Δυοῖν ὀβολοῖν duæ eiusdem figuræ lineæ. ⌓. κερατίου κ, cuius inferius cornu accentui acuto similis recta linea secet, addito ε, hac figura κ^ε χαλκοῦ χ, superne scriptum habens α, isto modo χ^α ἡμίσεος nota est, cuiuscunq; ponderis fuerit, similis ferè ei, qua nonagenarius numerus significatur: ut igitur alteram ab altera distinguāt, Græci supra notam nonagenarij numeri, unam uirgulam in modum accentus acuti formatam scribunt: supra notam autem ἡμίσεος duas eiusdem figuræ uirgulas hoc modo ϛ'', quæ in antiquis codicibus quibusdā emendatè scriptis obseruare licet. Hæc mea sententia est de mensuris & ponderibus, non paulò diuersa ab alijs, pro qua confirmanda contra tot uiros & tantos disputare ueritus fuissem, nisi mihi iamdudū persuasum esset, nullam authoritatem tantam esse, ut ei ueritas iure cedere debeat, cuius, ut sæpe dixi, asserendæ causa magis, quàm quòd ullum ex ijs (nec enim merentur hoc illorū studia) reprehensum uelim, liberius disserui. Ipsi, ut uiros bonos & doctos decet, uel contra mea refellent testimonijs ueterum: uel, si id non poterunt facere, ueritati acquiescent.

FINIS.

Acetabulum 23.43.49
Acceptabulum 50
Acronis error ibidem
Amphora 17.44
Angeli Politiani error 41.135
Ariſtophanis interpretis locus 97
ἀμφορεύς 181.115
Bilibris 191
Cadus 40.97.89
Catonis locus 49.189
Centumpondium 189
Centenarium 190
Chamæleontis rhetoris locus 93
Cheme 77.156
Chœnix 108.126.136.137
Cochlearium 23.24.25. 50.51.52.77.107. 108.157
Cõgius & Congiarium 43
Congialis 44
Cotyle 77.83.101. 107. 108
Culeus 16.39.40
Culea & Culeola 39
Chus 77.81.92.116
Cyathus 23.77.108
κάδιχος 90
κεράμιον 79.80.90
κοτυληδόνες 43.83
κουλεός 16
χαλκοῦς 225
χοινίκιον 73
Decemmodiæ ibidem
Demenſum 138
Demetrij Alabaldi error 41
Denarius 189. 199
Dolia culearia 39
Dolia ſeſquiculearia 40
Domitij Calderini error 46
Drachma 225.240.244. 254.255
Drachmam et Denarium idem non eſſe 207
Duella 197
Dupondius 192
δᾶν 93
διχοίνικον 126
διτάλαντον 234
διώβολον 240
διωβολιαῖος 245
ἑκτεύς 123

ἑλέτας 93
ἡμικάδιον 90
ἡμικοτύλιον 84
ἡμίεκτον 123
ἡμιδωδέκατον ibidem
ἡμίδραχμον 244
ἡμιμέδιμνον 123
ἡμίξεστον 82
ἡμιουγγιον 244
ἡμιχοίνικον 111.126
ἡμιώβολον 245
Gregorij Tiphernatis error 105
Guarini Veronensis error 105.135
γράμμα 202.244
Hemina 20
Herm. Barbari error 49
D. Hieronymi locus 92
Horatij locus 31
Labrum culeare 39
Laurentij Vallæ error 82.105.110
Libra mensura 15.27
Libra 189.193.194.195.201.203.235.236 237.238.239.242.251.
Libralis 191
Libræ mensuralis & ponderalis collatio in oleo 146
Ligula 23.25.50
Lingua 50
Ludouici Cœlij error 110
λεπτόν 225
Martialis locus 45.46
Maximini Imperatoris bibacitas 94
Medimnus 108.109.123.133
Mellis pondus cum uini pondere collatũ 163
Mensurarũ diuersitas 14
Mensurarum Romanarũ in liquidis enumeratio ibidem
Mensurarum Romanarũ in aridis enumeratio 69
Mensurarũ Romanarum in humidis capacitas, iuxta libras & uncias mensurales 15
Mensurarũ Romanarum in aridis capacitas, iu

xta libras & uncias mensurales 69
Mensuræ maiores & minores 16
Mensurarum nomina pro uasis uel poculis 39
Mensurarum Græcarum diuersitas 76
Mensurarum Medicarum in humidis enumeratio 77
Mensurarũ Medicarum in humidis capacitas, iuxta libras et uncias mensurales . ibidem
Mensurarũ Medicarum in aridis enumeratio 107
Mensurarum Medicarum in aridis capacitas, iuxta libras & uncias mensurales ibid.
Mensurarum Georgicarum in humidis enumeratio 115
Mensurarum Georgicarũ in humidis capacitas, iuxta libras & uncias mensurales ibid.
Mensurarum Georgicarũ in aridis enumeratio 122 .
Mensurarum Georgicarũ capacitas, iuxta libras & uncias mensurales in aridis ibid.
Mẽsuræ Hippoiatricæ 139
Metretes 77.78.79. 80.89.115.
Mina 234.241.246
Modius 65.70
Modialis 70
Modiolus 73
μναῖ 225
μολυβδὶς 190
Nicolai Perotti error 44.50.73.203.
Notæ mensurarum Romanarũ et Græcarũ 186
Notæ ponderum Romanorum 217
Notæ ponderum Græcorum 260
Obolus 225.240
Olei pondus 146
Oxybaphum 23.49.77.

85.107.117
ὁλκή 29.244.256.257
Parricidarũ pœna 40
Persij locus 46
Philippi Beroaldi error ib.
Plinij locus 36.43
Plinij error 95
Plutarchi locus 47
Pondera Romana 189
Pondera certa & incerta 190
Pondera Attica 220
Pondera Medica 241
Põdera Hippoiatrica 257
Ponderum Romanorum diuisio 190.201
Pondo 23.191.192.203
Prisciani error 228.235
Propertij locus 46
Proportio inter mensuras Medicas & Georgicas 120
πεντάχοινικον 126
πολυτάλαντον 234
πρόμαχον 94
Quadrantal 17
Quadrilibris 192
Quartarius 22.84
Quinarius 199
ξυτόν 93
Scribonij Largi locus 25
Selibra 195
Semodius 70
Sesquimodius ibid.
Sextarius 20.45.77.81.99.102
Sextarius medimni 124.125
Sextans denarij 199
Sextula 197
Siclicus ibidem
Solon mensuras & pondera auxit 119
Strabonis locus 135
Suidæ locus 98.232.234
Suetonij locus 30
σιτομέτριον 139
σάμνος & σαμνίον 90
Talentũ 202.220.221.222.223.227
Tertiarius medimni 125
Tetrametrum 126
Thomæ magistri locus 90
Torquatus tricongius 94
Trimodia 73
Trilibris 192

ταλαντεύω 234
τετρώβολον 240.245
τριτάλαντον 234
τρίτον ἡμιτάλαντον, & similia 233
τριώβολον 240.245
τριχοίνικον 126
τρύβλιον 83.117
Victoriatus 199
Vini pondus cum olei pon dere collatum 159
Vini Nectaritis confectio 96
Vncia 189.253.354
Vncia mensuralis 15.27. 28.29.30
Volusius Metianus 21
Vrna 19.41
Vsuræ semissium 36

FINIS.

Pagina 48. uersu 3. lege, sic enim ipsum appellant.

BIBLIOTECA VENETA
Fondo antico
4816
41335
5

I 14

BIBLIOTECA



ATENEO
BIBLIOTECA
89.71
VENEZIA